

Wielmożnemu Panu

Celińskiemu

w dowód wysokiego szacunku

ofiaruję

Autor.

LAURENTIUS GRIMALIUS GOSLICIUS
EJUSQUE OPUS
DE OPTIMO SENATORE.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI
PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
UNA CUM THESISIBUS A SE PROPOSITIS
DIE XII. M. NOVEMBRIS ANNO MDCCCLXXII
HORA XI
PUBLICICE DEFENDET
ROMANUS LOPINSKI
POSNANIENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

AEMILIUS RUMMLER, CAND. PHIL.
BRONISLAUS KUTZNER, CAND. MED.

HALIS SAXONUM,
TYPIS PLOETZIANIS.



UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

DE OPTIMO SENECTUTE

DISSERTATIONE

IN HONOREM ET AD USUM


INSTITUTUM PROPTER HONOREM

INSTITUTUM PROPTER HONOREM

INSTITUTUM PROPTER HONOREM

ROMANUS LEXICON

INSTITUTUM PROPTER HONOREM



INSTITUTUM PROPTER HONOREM

INSTITUTUM PROPTER HONOREM

ILLUSTRISSIMAE SOCIETATI

A

CAROLO MARCINKOWSKI

IN M. D. POSNANIENSI CONSTITUTAE

ATQUE

STATE OF CALIFORNIA

LEGISLATIVE COUNCIL

OFFICE OF THE CLERK

ETA

VIRIS HUMANISSIMIS BENEVOLENTISSIMIS

THADAEO KOMPf

KORNATARUM

ET

JOSEPHO WĄGROWIECKI

SOBIESIERNIAE HAEREDI

HUNC QUALEM CUNQUE LIBELLUM

PII GRATIQUE ANIMI DOCUMENTUM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Investiganti, quinam factum sit, ut mortua Romanorum lingua simul cum cultu christiano in Poloniam recepta ac tum per multa saecula cum maximo linguae vernaculae damno fota, quindecimo ac sedecimo saeculo tantopere pervulgata sit, ut jure eam sub frigido Sarmatiae coelo revixisse contendere possit, multae se offerunt causae. Inter quas eam haud minimam duco, quod sacerdotes magnam partem in Italia eruditi, ubi lingua latina non modo theologia, verum etiam aliae tradebantur disciplinae, quum in Poloniam venissent, nihil habuerunt antiquius, quam ut ei linguae disseminandae operam darent, quam omnibus literis coaluisse, ita ut ea tantum tractari possent, censebant.

Quo in studio summo iis erant adjumento variorum ordinum coenobia, scholae triviales dictae et cathedrales universitatesque cracoviensis, ubi literae nisi latina lingua non docebantur. Si insuper respiciamus, Polonos semper ad linguam hanc perdiscendam proclivibus fuisse animis ac peculiari quadam facilitate latinarum dictionum recte exprimendarum, quam Decius ¹⁾ et Guagninus ²⁾ testantur, fructos esse, non mirabimur, linguam latinam proximis statim post fidem Christianam in Poloniam advectam saeculis eam fuisse, qua quum res ecclesiasticae, tum acta publica expediri solerent. At vero Piastis regnantibus, sacerdotes fere soli eam callebant; saeculo XV demum equites atque urbani in ea haerere coeperunt. Eodem

¹⁾ Decius Justus Ludovicus: De Sigismundi temporibus liber. Cracoviae 1521. p. 58.

²⁾ Alexander Guagninus: Rerum polonicarum, Tomi III. T. II. p. 64. Francofurti 1584.

igitur aevo Poloni literas romanas, quarum ab Italis antiquitatis omniumque liberalium artium amantissimis, cognoscendarum saepenumero se iis praebebat occasio, tantopere adamarunt, ut earum studium tota floreret Polonia. In iis, qui potissimum studiorum talium suscitandorum auctores fuere, Gregorius Sanocensis et Długossius sive Longinus ponendi sunt. Gregorius Sanocensis ex Italia a. 1433 redux in patriam primus exemplar Vergilii bucolicorum secum attulit eaque in universitate Cracoviensi interpretatus est. Długossium autem praeesse phalangi virorum jam emendato linguae latinae usu praestantium, negari non potest. Biographus quidam XV saeculi hanc de eo sententiam protulit: „scripsit autem (Długossius) vitas beati Stanislai et virginis Kunegundae, historiamque perpetuam Polonorum stilo mundissimo et magnifico, cujus vestigia postea nonnulli secuti, in scriptionibus suis abstergere coeperunt ac rejicere barbariem sermonis. quae usque ad ea tempora in promiscuo apud omnes erat. 1)“ Quod illi conati sunt, continuabant viri jam doctrinae laude ac subtiliori cognitione rationeque literarum romanarum inclyti. Primas inter eos agit partes Joannes Ursinus, literas veteres Romae a Pomponio Laeto edoctus, viro literarum amantissimo, qui prima luce, interim etiam candelam manu tenens ludum literarium adibat, frequentibus discipulis veterum scriptorum opera interpretaturus. Nec minus digni sunt, qui commemorentur: Joannes Sacranus, qui Francisco Philelpho usus est magistro et Albertus Corvinus Novoforensis. Unde factum est, ut universitas cracoviensis ita brevi tempore inclaresceret, ut peregrini et ipsi frequentes eam adirent. Qui literis romanis imbuti, quum saepius manerent, vel diu in Polonia versarentur, optime de propagando emendato linguae latinae usu meriti sunt. Quapropter memoria virorum: Henrici Bebelii, Agricolae junioris, Ecchii, Conradi Celtis, laureati poetae, Rhagii Italique Buona corsi, qui Callimachi nomen sibi ascivit, nunquam in Polonia

¹⁾ Wiszniewski, *Historya literatury polskiej*. Tom. III. p. 325. Ann. 201.

interibit. Quoniam igitur literae romanae ubique in Polonia colebantur, nimium progredi eos nego, qui tum multitudinem etiam codicum veterum scriptorum in Polonia fuisse contendunt, quos Poloni, qui in synodis pisana, constanciensi basiliensi que legatorum fungebantur muneribus, in patriam attulerunt. Quod jam inde colligi potest, quod cardinalem Bessarionem XV saeculo in Poloniam ablegavisse constat, qui codicem Ciceronis operis „de republica“ detegerent ac quod Aldus Manutius in praefatione operi Aristotelis „de physico auditu“ addita ipse se ex Polonia codices manuscriptos accepisse proficitur.¹⁾ Sed si studia literarum romanarum saeculo XV in Polonia florere, summum sunt assecuta gradum saeculo proximo. Vulgaris ille in Europa linguae latinae usus, gloriae cupido effecerunt, ut Poloni sperantes praeterea, se quum ab Imperatoribus vel Pontificibus lauream poeticam, tum in patria summas dignitates accecuturos esse, maxima cum industria in literarum romanarum studia incumberent. Quomodo factum est, ut lingua latina altera saeculi XVI parte, nova sibi in Polonia sede constituta, sermonis vernaculi loco adhiberetur. Quum Julius II, pontifex Maximus, credere nollet, Joannem Christophorum Tarnovium, juvenem ratione doctrinaque nobilem in Polonia natum esse, Orichovius hac re laesus in eum his fere verbis invectus est: „Venisses in Poloniam Juli, tibi Polonia non terra barbara, sed ipsa altera visa fuisset Italia, quum Polonos pro vernaculo sermone sermonem sonare audires latinum²⁾“ Quo quis linguae latinae peritior erat, eo meliorem accepisse eruditionem putabatur. Quae igitur lingua quum in privatis scripturis et epistolis, tum in actis publicis ac diplomatibus, mandatis, edictis decretisque principum et judicum et magistratuum usurpabatur. In comitiis, quotiescunque pontificis vel exterarum nationum aderant legati, latine disputabatur; legati nisi viri linguam latinam cognitam perspectamque

¹⁾ cf. Wiszniewski l. c. T. III. p. 331. Ann. 213.

²⁾ Stanislaus Orichovius: Panegyricus nuptiarum Sigismundi Augusti. Tarnovii 1558.

habentes non eligebantur. Cromerus in „Polonia“ hoc modo loquitur ¹⁾. „Ad scholas quidem et magistros mittere mares liberos et latinis literis teneram imbuere aetatulam omnibus pauperibus juxta ac divitibus, nobilitati ac plebi oppidanae praesertim studium est. Multi paedagogos domi alunt. Itaque ne in medio quidem Latio quis reperiatur tam multos vulgo, cum quibus latine tamen loqui possit.“

Rex Stephanus Bathoreus et ipse in literis romanis versatus, summis id egit viribus, ut universitati cracoviensi clarissimos atque antiquitatis studiosissimos acquireret viros: Muretum, Sigonium, Aquarium aliosque. Qui quum variis causis commoti in Poloniam venire non potuissent, Poloni, qui scriptis philologicis iucularuerant, Jacobus Gorscius et Benedictus Herbestus literas romanas in hac academia docebant. Andreas Patricius Nidecius tam orationes Ciceronis commentatus est, quam fragmenta operum ejus collegit. Poloniam omnino hoc saeculo literarum romanarum studio exterarum superasse nationes, gravissimo exteri scriptores erunt testimonio. Comitata Vindobonae a. 1515 celebrata prima huic gloriae jecere fundamenta²⁾. Thuanus, legationem polonicam in Francogallia a. 1573 commemorans hoc modo in historia sua loquitur: „Ex iis omnibus nullus non latini sermonis peritus erat; plures italice et germanice loquebantur; quidam etiam tam concinne gallicas voces proferebant, ut ad Sequanam potius aut Ligerim, quam ad Vistulam aut Borysthenem nati viderentur, pudore interim aulicis literarum non tantum rudibus sed infeste hostibus incusso, qui interrogati ab hospitibus suis erubescere et nutu tantum respondere cogebantur“³⁾.

Clarus ille Muretus ab itinere in Germaniam Poloniam-

¹⁾ Martinus Cromerus: „Polonia,“ sive de situ, populis, moribus, magistratibus et republica regni Polonici libri duo. Coloniae 1587. p. 61.

²⁾ cf. Cromerus: Oratio in funere Sigismundi I. a. 1548.

³⁾ Jac. Aug. Thuani historiarum sui temporis, Liber LVI. T. II. Francofurti 1614 p. 1245.

que arcere eum cupientibus, quum dicerent, terras has etiam tum in summa versari barbarie, haec respondit: „Quod autem quidam, qui deterrere me cuperent, clamabant, gentes illas feras ac barbaras esse, interdum mihi risum, interdum stomachum movebant. . . Nugae istae sunt hominum eos, qui adulari et fallere, et aliud loqui, aliud cogitare nesciunt, barbaros vocantium. Utinam nos eo modo barbari essemus. Viri vero barbariores sunt nati in media Italia, quorum vix centesimum quemque reperias, qui latine aut graece loqui sciat, aut literas amet: an Germani ac Poloni, quorum permulti et earum linguarum utramque perfectissime callent et ita literas ac liberales disciplinas amant, ut in iis tempus omne consumant. Olim illi fortassis asperi ac barbari fuerunt; hoc quidem saeculo vereor, ne ad nos barbaries, ad illos cultus ac splendor vitae et eruditio atque humanitas mutatis sedibus commigrarint ¹⁾. Justus Lipsius ad amicum suum Hieronymum Ferrerium in Polonia morantem, quum ab eo latine compositas accepisset literas, inter alia et haec scripsit vera: „Quid tamen mirer? inter eos ibi viros agis, qui olim barbari, nunc nos tales faciunt et e Graecia simul et Latio pulsas aut spretas Musas aequid se comiter habent.“ ²⁾).

Neque quemquam inveniri posse puto, qui hoc infitiri velit, quum nonnulli etiam saeculo sedecimo plures in Polonia scriptores latinos, quam Auguti aevo Romae ortos esse ferant. Quum igitur longum sit, enumerare omnes, qui oratione soluta tantam sibi paravere laudem, quanta satisfecisse videtur ad nomina eorum magna reddenda, hos tantum viros commemorabo: Orichovium, Joannem Lipsium, Petrum Dunin, Martinum Cromerum, Albertum Wijuk, Joannem Tarnovium, Joannem Herburtum aliosque, quibus cognomina Demosthenis latini,

¹⁾ M. Antonii Mureti epistolae Venetiis 1621 Liber I. ep. 66. ad Paulum Sacratum.

²⁾ Justus Lipsii: epistol. select. Centurio sing. ad Germanos et Gallos ep 83; confer praeterea Ep. select. Cent. IV. ep. 7, ep. 57; cent V. ep. 22.

Ciceronis christiani, novi Tullii, Livii Sarmatici, Lithuanae gentis Livii, ex utroque Caesaris, Flori polonici imposita sunt. Joannes Sarius Zamoyscius, quem academia Patavina decus suum vindicat ¹⁾, inclytus opere de senatu romano conscripto eoque in thesauro Graevii typis impresso, quod perperam Carolo Sigonio addicebatur, alter Cato Censorinus appellatus est. Sed non solum solutae orationis elegantia sublimitateque Poloni eminere, verum etiam in poesi mirum quantum ad archetypa vetera accesserunt. Dantiscus ab imperatore Maximiliano laurea poetica est coronatus ejusque honoris causa Carolus Quintus nummum aureum cudendum curavit. Neque minus Clementi Janicio laurus poetica ab academia Patavina obtigit. De Cricio Erasmus Boterodamus tulit sententiam, eum non minus egregie oratione vincta quam soluta scripsisse et Sarbievium Grotius non solum aequavisse, sed interdum superasse Flaccum affirmavit. In numero igitur virorum XVI saeculi, qui linguae latinae peritia ac doctrinae laude illustres, jure cum antiquitatis scriptoribus conferri possunt, certe Laurentius Grimalius Goslicius ponendus est. Huc illud quoque acedit, quod, quum in republica plurimum versatus sit, annales polonici, nomen ejus magnis efferunt laudibus. Qui quum immerito adhuc minus notus, ne dicam, neglectus jaceat, studiosius quaedam de eo in medium proferre constitui. Sed ne acta agere videar, quid ii, qui hac de re jam disseruerant, profecerint paucis commemorem, necesse est. Thomas Treterus, custos canonici Varmiensis in opere: „Vitae episcoporum Posnaniensium“ Brunsbergae a. 1604 edito, vitam Goslicii quoque descripsit, sed rem obiter tantum tetigit. Attamen excusari potest, quod Goslicii aequalis de homine etiamtum vivo plura dicere noluit. Polyhistor XVII saeculi, Simon Starowolscius, canonicus cracoviensis, brevem tantum Goslicii in opere:

„Scriptorum polonicarum *ἐκατοντάς* Venetiis 1827 mentionem fecit eamque non satis fidam reddidit. Caspar Niesieckius

¹⁾ Nicolai Comneni Padopoli: Historia gymnasii Patavini. Venetiis 1728. Vol. II. p. 325.

in „Insignium libro“ — Korona polska — Leopoli 1728 publicato vitam Goslicii descripturus res notas repetivit neque novi quidquam attulit. Num hoc loco et Francisci Rzepnicii, qui in „Vitis Praesulum Poloniae“ Goslicii vitam tractavit, mentionem injiciam, cunctor, quum rem totam ad verbum fere ex Treteri vitis perceperit. Multo accuratius diligentiusque J. D. Janotzkus de Goslicio praesertim, quod ad istius opera attinet, in „Commentatione de raris libris polon. bibliothecae Zaluscia-nae Dresdae 1747“ disputavit. Inter eos, qui majorem iu Goslicii vita adumbranda collocarunt curam, praecipue Ossolinscius commemorandus est, qui, ut ingenue confitear, etsi multa manca ac minus probanda attulerat, primus tamen rem subtiliter ac critici acumine usus in opere: *Commentatio historico-critica de scriptoribus polonicis — Wiadomości historyczno - krytyczne* — agitavit. Sed tantum abest, ut qui Ossolinscium secuti laborem hunc susceperunt, melius quidquam profecerint, ut omni ex parte ab illo superentur. Letowscium et Chodynecium dico, quorum alter in „Cathalogo antistitum, canonicorum etc. cracoviensium“ res jam ab Ossolinscio in medium prolatas sine ullo ordine ulloque artis criticae sensu confudit, alter in „Dictionario doctorum Polonorum“ miro quodam fortunae casu eadem ad verbum fere, quae Ossolinscius sensit. Unde nascitur, ut vix digni sint, qui respiciantur. Quibus tamen viris Josephum Bartoszewicium libenter excipio, qui commentatione de Goslicio in „Encyclopaedia universali vol. IX. p. 316—321“ allata effecit, ut nonnullas adhuc ignotas patefaceret res. Denique commemorare juvabit Franciscum Pawłowium, qui in opere: „Vitae ac res gestae episcoporum premiisensium, Cracoviae. 1869“ Goslicium haud neglexit. Qui tamen res praecipue ecclesiasticas respicit, quarum nullam fere rationem mihiquidem habendam esse putavi et hanc ob rem minoris est momenti. Alios, quorum hoc loco mentionem faciam, non habeo. Quae igitur quum ita sint, operae me pretium facturum esse spero, si rem etsi non ab omni, tamen aliqua quidem ex parte absolutam profecerim.

Laurentius Goslicius ex antiquo et nobili genere Grima-

liorum in Masovia longe lateque diffuso¹⁾ oriundus, ex quo permulti clari, bellicis laudibus insignes, de patria optime meriti prodire viri. Inter quos haud minima excelebat fortitudine Franciscus tribunus et copiarum ductor, qui quum saepius secundo Marte manus cum Tartaris conseruisset, aliquando cum parva suorum manu, probata tantum virtute militum fretus multo majores Tartarorum copias adortus, cruentam sibi cladem contraxit. Ipse comprehensus, licet libertatem magno redimeret pretio, a priorum cladum memoribus barbaris a 1556 concisus est, qui arma vestesque in mortui cruore intingebant, vetere superstitione ducti, se heroico Goslicii sanguine ad forditudinem stimulatam iri. Cujus facinoris memoria diu in Podolia remansit, quum locus caedis in populi sermone Goslicii tumulus nominaretur²⁾. De Goslicii nostri parentibus, si quid certi investigare velis, vereor, ne oleum et operam perdas, quum ne nomina quidem utriusque parentis memoriae tradita sint. Plus tamen proficies, quaestione de loco, ubi natus est, instituta. Epithaphium quidem ejus adhuc exstans eum in territorio Plocensi re vera natum esse ostendit³⁾. Goslicius vero semet ipse de magna Goslicza oriundum indicat⁴⁾, unde fit, ut nihil dubii hac in re superesse censeam. Item annum ejus natalem nullus historicorum biographorumve designat. Sed quam annus mortis ejus in a. 1607 incidens constet atque inscriptio in sepulcro⁵⁾ eum septuagenario majorem, Starowolscius autem⁶⁾ fere octogenarium mortuum esse exhibeant, an-

¹⁾ Janotzki: Nachricht von denen in der Hochgräflich- -Zaisusischen Bibliothek sich befindenden raren polnischen Büchern. III. vol. p. 91: Kasper Niesiecki: herbarz polski wyd. Bobrowicz Lipsk. 1839. Tom. IV. p. 225.

²⁾ Rzepnicki: Vitae Praesulum Poloniae T. II. p. 142.

³⁾ cf. Epitaphium ejus infra allatum.

⁴⁾ Dogiel, codex diplomaticus Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae, Vilnae 1758. T. I. p. 500.

⁵⁾ cf. Epitaphium.

⁶⁾ Simon Starowolscius: Scriptorum polon. Hecatontas. Vratislaviae 1733. p. 21.

nus, quo natus est, aliquatenus colligi potest. Tali enim modo inter annum 1529 et 1535 natus sit, ucesse est. Fratres ejus teste Niesieckio¹⁾ hie fuere: Paulus, canonicus cracoviensis et plocensis, qui mortuus est a. 1590 duodequingenta annos natus, et Valentinus, primum subsyndicus plocensis, tum castellanus sierpensis, qui fato obiit a. 1596.

Laurentius puer quum acrem, promptam, vividam ingenii vim praestaret, quam diligentissime primis literarum elementis imbutus est. Adolescens ad literas bonasque artes percipiendas Cracoviam, in metropolim scientiarum, se contulit, ubi in tum florenti universitate summa diligentia et industria ad literas incumbebat. Aequali socioque studiorum utebatur Joanne Demetrio Solicovio, postea archiepiscopo Leopolitano, qui illud in testamento suo testatur²⁾. Quum autem praeceptores Solicovii ex eodem fonte haud ignoti sint³⁾, non multum a veritate me aberraturum esse spero, si, etsi non omnes, tamen magnam eorum partem Goslicii quoque magistros statuerim. Quorum in numero fuere: Adamus Lascensis, Joannes Wirzejski, Lucas Cieszkovius, Benedictus Kotarski, Jacobus Gorscius, Obrebius, Bodzencinius, Szatkovius, Albertus Novocampianus. Quibus etiam Simon Maricius Simonque Pilsnensis, viri accurata et exquisita doctrinae copia insignes accensendi videntur, quos Nehringius, vir doctissimus, in constituendis Solicovii praeceptoribus investigavit⁴⁾. In studiis mox tantum profecit, ut a. 1561 simul cum Stanislao Sokołovio, postea clarissimo Stephani Regis theologo ad gradum baccalaureatus promotus sit⁵⁾, docendi facultatem

1) Niesieckius l. c. T. IV. p. 226.

2) Joannis Demetrii Solicovii: commentarius brevis rerum poloniarum a morte Sigismundi Augusti, Poloniae Regis anno 1572 Knisini mortui. Dantisci 1647. p. 225.

3) Solicovius l. c. p. 228.

4) Nehring: O życiu i pismach Jana Dym. Solikowskiego-Poznań 1860 p. 2.

5) Soitykowiez: O stanie akademii krakowskiej. Kraków 1870 p. 598; Josephus Muczowski: Statuta nec non liber promotionum. Cracoviae 1849 p. 201. <http://rcin.org.pl>

praebentis grammaticam, dialecticam, rhetoricam musicaeque elementa prima in scholis privatarum sive trivialium nomen gerentibus. Quo loco sententiae eorum refutandae mihi videntur, qui sive rem leviter tractantes, sive nimio laudandi studio commoti, Goslicium magistri gradum modo philosophiae, modo liberalium artium assecutum esse affirmant. Sententia eorum, qui eum magistrum philosophiae faciunt¹⁾, corrui in semet ipsam, quum talis literatus gradus nunquam omnino fuerit. Janotzkus eum magistrum liberalium artium appellat²⁾, et falso quidem, quum tabulae universitatis Cracoviensis satis superque demonstrent, eum tantum ad baccalaureatus gradum promotum esse, per quem ad licentiatursae ac tum demum doctoris philosophiae magistrique bonarum artium gradus ascensus patebat.³⁾ Quo anno universitatem Patavinam ad perpoliendas literas in patria perceptas, quod mos et consuetudo illorum temporum secum ferebat, adierit, incertum est.

Id tamen patet, Goslicium hic non modo theologiae historiaeque ecclesiasticae, verum etiam sapientiae civili et eloquentiae et juris prudentiae vel summam navasse operam. Franciscus Pawłowius quidem in opere „Premislia sacra“ Goslicium hic familiaritate cum Joanne Zamoyscio conjunctum esse perhibet⁴⁾. Quam tamen rem nullis fultam documentis jam hanc ob causam, quod Goslicius, quoad ex historia pateat, semper averso a Zamoyscio fuerit animo, longe a veritate abesse putarim.

Sunt nonnulli iique viri doctissimi⁵⁾, qui Goslicium Patavii a. 1564 carmen heroicum: De victoria Sigismundi Augusti Ser. et Potentis. regis Poloniae inscriptum ac victoriam regis

¹⁾ Chodyniecki: Dykeyonarz uczonych Polaków. Lwów 1833. T. 1. p. 176; Łętowski: Katalog biskupów etc. krakowskich. Kraków 1852. T. III. p. 23.

²⁾ Janotzkus, Rare pol. Bücher III. q. 92.

³⁾ Sołtykowiez: l. c. p. 599.

⁴⁾ Franciscus Pawłowius; Premislia sacra. Cracoviae 1869. p. 330.

⁵⁾ Wiszniewski: Historia literatury polskiej. T. VIII. p. 82; Bartoszewicz: Encyclopaedia universalis T. IX. p. 316; Juszyński: Dykeyonarz poetów polskich. Kraków 1820. T. I. p. 107.

hujus de quadraginta millibus Moscorum a. 1560 reportatam celebrans composuisse contendant. Rem quum alias ejusmodi putarem, ut jure de ea valde dubitari posset, nunc, quum ab Janotzkio, viro, qui veterum librorum polonicorum notitia inter omnes praecipue excellit, carmen hoc commemoratum inveni¹⁾, quemque mihi ex animo scrupulum evelli neque quidquam nisi id vehementer doleo, quod mihi quidem carmen illud nunquam in manus venerit. Eodem ex tempore Patavii in studiis consumpto exstat primarium ejus opus de optimo senatore, quo etiam apud exteros summam sibi eximiae intelligentiae et peritiae atque doctrinae laudem ascivit. Treterus in vitis episcoporum posnanien id his fere verbis attingit: „Vir in omni scientiarum genere egregie versatus, conscriptis de optimo senatore magno judicio et eleganti stylo in Italia libris omnium oculos in se convertit, viamque sibi ad dignitates aperuit.“ Apud suos vero tantopere se eo commendavit, ut in patriam a. 1569 redux a rege Sigismundo Augusto, viros ingenii acumine praestantes doctrinaeque laude insignes ad aulam suam astricturo, statim inter secretarios ejus receptus, quaestuosis canonicatibus plocensi et kujaviensi donaretur²⁾. Attamen monendum est, Goslicium non nisi reditus ex muneribus istis cepisse, sacerdotis autem munere fungi non potuisse propter multa negotia, quibus abhinc aulae regis astrictus erat. Quae res gravissimo nobis possunt esse documento, quanti Sigismundus Laurentium nostrum duxerit, praesertim quum respiciamus, munus secretarii regii hoc tempore summo in honore habitum esse, ita ut viri tantum, qui ingenio doctrinaeque jam inclaruerant, ejus participes fieri solerent. Quapropter omnes fere summos saeculi XVI viros munere secretarii regii functos esse invenimus, quod quasi schola quaedam ad majores in republica dignitates viam aditumque patefaciens putabatur.³⁾

¹⁾ Janotzkius; Excerpta polonicae literaturae hujus atque superioris aetatis. T. I. p. 91.

²⁾ cf. Christophorum Varsevicium in praefatione ad orationem ad Henricum I, Poloniae regem habitam pro avita tenenda religione p. 202.

³⁾ cf. Heidenstein in *Vita Zamoysei*, codex mspt. Dresdensis.

Sed ad Laurentium nostrum revertamur, a quo paulisper abducti sumus. Jam supra mentionem feci, eum a. 1569 in patriam rediisse, sic enim statuendum esse puto propterea, quod a. 1568, quo librum illum de optimo senatore Patavii ediderat, eum ibidem esse moratum verisimile est et a. 1569 eum jam in patria versatum esse constat. Altera nimirum ex parte infitias ire nolo, sententiam eorum, qui eum jam exeunte a. 1568 rediisse malint, minime a vero abhorrere. Exinde per triginta fere annos ad gravissima quaeque negotia perficienda adhibitus laudem favoremque regnantium sibi collegit. Jam a. 1569 quum Gedanenses seditionem concitassent, altera inquisitione instituta, Goslicius una cum Capare Getzkau sive Jeschke, abbate olivensi, rerum pruthenicarum haud ignaro et Petro Luisio, Hispano juris consultissimo atque duobus castellanis auxilio oratoribus regiis ad hanc causam componendam additus est. Quum autem relictis post se legatis, primus Gedanum cum literis mandatisque regiis die 23. Septembris ejusdem anni venisset, iram odiumque sibi Gedanensium contraxit. ¹⁾ Unde factum est, ut Kurricke, historicus gedanensis, vir ceterum aequi moderatique judicii, amore patriae urbis suae inflammatus, quum unicuique legatorum aliquid exprobraret, tum Goslicium, quid ei objiciat, nesciens, hominem libidinosum vocet. ²⁾

Gedano reversus mox aliâ munia obeunda suscepit. Anno enim 1571 in Transsylvaniam a rege una cum Nicolao Mielecio, palatino podolensi, magno legato, missus est, haereditatem Joannis Sigismundi Zapolscii, regiae sororis Isabellae filii, principis Transsylvanici petitem. Belgradum profecti funeri principis aderant. ³⁾ Quam legationem canonici posnanienses quoque in gratulatione Goslicio, episcopo posnaniensi, oblata memorant: „Quam liberaliter tuum studium obsequiis patriae im

¹⁾ cf. Daniel Gralath: Versuch einer Geschichte Dantzig. Königsberg 1790. T. II. p. 179.

²⁾ Der Stadt Dantzig historische Beschreibung verfasst von Reinhold Curricken A. 1868 p. 259.

³⁾ Rzepnicki: Vitae Praesulum Poloniae T. II p. 144; Niesiecki l. c. p. 226. Christophorus Varsevicius l. c. 202.

pendervis, legationes: germanica, suetica, transsylvanica, prussica obitae luculenter testantur.“ Jam postero anno etiam Sigismundi Augusti jussu Brunsvicum ad accipiendam haereditatem Sophiae, regiae sororis, Henrico, duci Brunsvicensi in matrimonium collocatae ac tum mortuae profectus esse fertur; hoc enim contendunt Bartoszewicius¹⁾ et Łetowscius,²⁾ sed nescio quibus auctoribus nisi. Equidem rem prorsus falsam duco, quum constet, ducissam hanc a. 1575 demum vita defunctam esse. Quo modo concedamus, necesse est, viros hos posteriorem legationem a Goslicio a. 1585 susceptam hic in animo habuisse. Quae in interregno post Sigismundi Augusti obitum, et Henrico Valesio, per breve tempus regnante, quaeve temporibus discessum hujus e regno secutis, gesserit, omnino latet. Quod quidem Christophorus Varsevicius praefatione jam supra commemorata paululum collustrat,³⁾ sed in universum tantum loquitur: „Itaque minime mirum fuerat, si et post Sigismundi Augusti mortem formidoloso illo primo et altero interregno, in republica veluti in officina quadam perpetua laboraveris, nunc ad exteros reges et principes ab ordinibus regni scribendis literis, nunc iis exarandis, quae in et ab electionibus regum non modo ad ordinum, sed hominum omnium salutem et dignitatem maxime pertinebant.“

Quum princeps Transsylvanicus, Stephanus Bathoreus rex creatus esset et canonici cracovienses incertis causis commoti nomina sua actis electionis inscribere nollent, nobilitas, quae ad comitia cracoviensia a. 1576 convenerat, ad eos misit legatos. Goslicius jam tum canonicus cracoviensis hac fere excusatione usus est: „permolestam sibi esse hanc legationem, quippe quae suspicionem quasi quandam exhibeat; sese sincere atque ex animo probare electionis acta, sed praesenti tempore locoque haud se obstrictum censere ad nomen suum iis subnotandum. Ceterum acta jam ad regem missa ratam possidere auctoritatem, etsi Goslicii careant nomine.“⁴⁾

¹⁾ Bartoszewicz: Encyclopaedia universalis vol. IX p. 316.

²⁾ Łetowski: katalog biskupów, prałatów etc. T. III p. 24.

³⁾ Christophorus Varsevicius l. c. p. 202.

⁴⁾ Cf. Orzelski: Dzieje Polski od zgonu Zygmunta Augusta r. 1572 —1576 Petersburg i Mohilew 1856 T. III p. 159—160.

Practerea Goslicius jam tum et aliis fruebatur honoribus. Erat enim decanus kielcensis, cracoviensis, wladislaviensis, sandomiriensisque canonicus, qualem ipse se offert sub confirmatione generali omnium jurum, privilegiorum, libertatum Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae facta per Sereuissimum Principem et Dominum Stephanum primum¹⁾.

Nec Stephanus rex insignem Goslicii prudentiam, ingenii aciem, eloquentiae vim non agnovit, quantique haec ejus naturae munera aestimarit, jam inde perspicui licet, quod acque ac Sigismundus Augustus eum statim secretarium suum cooptarit, eximiamque semper fiduciam in eo collocarit. Nonnulli²⁾ etiam ferunt, Stephanum eum cancellarium negotiis Transsylvanicis administrandis instituisse; sed nihil certi ejusmodi memoriae traditum est. Brevi bona ei occasio se dignum praebendi hac regis fiducia oblata est. Jam eodem enim anno 1576 Gedanenses a Maximiliano imperatore incitati Stephani imperium detrectabant ac superbia inflati divitiisque suis confisi rem nullo alio pacto nisi armis decernebant. At Stephanus animo a tranquillioribus consiliis non abhorrenti rebelles ad officium reducere conans Goslicio utebatur, qui saepius modo Gedanum, modo Bidgosciam proficisceretur paciscendi causa³⁾. Sed atrociam eorum frangere non potuit. Armis demum oppressi mitescere ac conditionibus regiis aures praebere coeperunt. Die 19 mensis Junii a. 1577 legati regis, Johannes Działyński palatinus culmensis simul cum Christophoro Rozdrazewio et Laurentio Goslicio, secretario regio et Joanne Barnemissa, praefecto ungarico, Gedanum profecti honorifice ab urbanis excepti sunt⁴⁾. Quatenus vero ad pacem componendam Goslicius noster value-

¹⁾ Cf. Volumina legum T. II p. 915.

²⁾ Cf. Ossoliński: Wiadomości historyczno-krytyczne Kraków. 1818. T. II. p. 75; Łętowski l. c. p. 23.

³⁾ Gralath: Versuch einer Geschichte Dantzig's T. II, p. 266, 289; Gottfried Lengnich: Geschichte der preussischen Lande. Dantzig 1724 T. III p. 231.

⁴⁾ Lengnich l. c. III p. 224; Gralath, l. c. II p. 289; Reinholdus Heydenstein: rerum polonicarum ab excessu Sigismundi Augusti libri VII Francofurti 1672. p. 113.

rit, nullum hujus rei inveniri potest vestigium. Huc id tantum accedit, quod antequam bellum profligatum est, in numero eorum fuit legatorum, qui Mariaeburgi die 22. Septembris 1577 causam regis egerunt, quum Stephanus curationem ducatus Prussiae ob aegritudinem mentis, qua laborabat dux Albertus Junior Marchioni Anspacensi Georgio Friderico permetteret¹⁾. Nulla fere mora interposita aliud ei munus perficiendum obtigit.

Etenim proximo anno Stephanus bellum Russiae illaturus id potissimum egit, ut sibi quam plurimos compararet socios. Itaque qui id curarent, legatos ad Augustum Saxoniae et Georgium Brandenburgiae electores misit²⁾. Nullus quidem historicorum nomina eorum affert; at verisimillimum est, Goslicium eodem profectum esse, quum legatio in sepulcro ejus et ab aequali Varsevicio³⁾ commemorata optime in hoc tempus quadret. Haud multo post a. 1579 jam diu paratum exarsit bellum. Goslicio, qui per totum belli tempus regem combatatur, denio gravissima negotia absolvenda commissa sunt. Nam Stephanus, dum Polotiam se confert, quid Joannes, Sueciae rex animo voveret, perspectum non habens, Goslicium qui id exploraret, Stockholmiam ablegavit. Praeterea Joanni nuntiare jussus est, Stephanum jam in armis esse, eumque hortari, ut et ipse e finibus suis in Russiam irrumperet. Quum autem rationes belli tales proposuisset, ut, quae citra flumen Narvam sita essent, ad Stephanum, reliqua omnia ad Joannem pertinerent, ille male indignatus „nolle se sibi praescribi, quas in partes copias mitteret, omniaque occupantis fore“ respondit. Tum Goslicius nihil a dignitate sua discedens, Livonia tamen ut abstineret, postulabat, cujus causa Stephanus bellum suscepisset et quam nullo modo sibi eripi sineret⁴⁾. Brevi tempore interjecto conventui pruthenico Culmi a. 1580 celebrato una cum Słuzewskio, palatino brestensi, orator regius interfuit.⁵⁾

¹⁾ Cf. Dogiel, codex diplomaticus regni Poloniae et magni ducatus Lithuaniae, Vilnae. 1758 T. IV p. 384.

²⁾ Cf. Heydenstein l. c. p. 125; Neugebauer histor. pol. p. 672.

³⁾ Christophorus Varsevicius l. c. p. 202.

⁴⁾ Heydenstein l. c. p. 168.

⁵⁾ Lengnich: Geschichte der preussischen Lande T. III p. 356.

Exinde per quatuor fere annos qualia negotia egerit publica, arctissimis obrutum est tenebris, quas ut tollas frustra operam dederis. Piaseckius quidem memoriae tradidit¹⁾, Goslicium a. 1582 post pacem cum Russia factam iterum ad Joannem, Sueciae regem profectum esse, quocum de restituenda Estonia, quam ille belli Moscovitici tempore arripuisset, tractaret; sed res maxime suspiciosa haberi debet, quum inveniuntur talia, quae sententiam modo prolatam vel maxime infringant. Tam enim historici polonici²⁾, quam Suetici³⁾ ad unum omnes legationem hanc commemorantes Dominicum Allemanium culinae regiae praefectum et Christophorum Varsevicium nominant, quorum alter alteri successit, quum rex Joannes virum inferiorem ad sese legatum missum esse aegre ferret. Quodsi igitur nullus eorum Goslicium illis addit, vix Piaseckii verbis fides tribui potest.

Anno 1584 demum causam Brunsvicensem, cujus jam supra mentionem feci, sibi a rege commissam accepit⁴⁾, in qua id ei agendum erat, ut haereditas Sophiae, Sigismundi primi, Poloniae regis filiae et Henrico duci Brunsvicensi in matrimonium collocatae, sororibus ejus Annae, Poloniae et Catharinae, Sueciae reginis restitueretur. Qua in re summae ei difficultates superandae erant. Quarum gravissima eo continebatur, quod Stanislaus Czarncovius, Regni referendarius, quem jam Sigismundus Augustus, Henrico duce mortuo, ad sororem suam consilio adjuvandam ablegaverat et cui instrumenta pactorum dotalium commiserat, in patriam reversus ea in thesaurum regium non retulerat. Quapropter Goslicius, quum Sophia et ipsa a. 1575 mortem obiisset, paucis parvi tantum momenti actis ex tabulario Varsaviensi exceptis instructus, iter Magdeburgum, ubi die 18 mensis Novembris a. 1584 causa

¹⁾ Piasecki: Chronicon gestorum in Europa singularium Cracoviae p. 10.

²⁾ Cf. Bielski: kronika polska p. 729; Heydenstein l. c. p. 198.

³⁾ Dalin: Schwedische Gesch. T. IV p. 113—116; Messenius Scandia illustr. T. VIII p. 66; Puffendorf: introd. T. III p. 49; Loccenii historiae p. 400.

⁴⁾ Heydenstein l. c. p. 203.

haec perquireretur, ingressus est.¹⁾ Quod conjici poterat, id quoque accidit. Goslicius enim rem suam minus argumentis probare potuit, praecipue, quum Julius, dux Brunsvicensis nihil antiquius haberet, quam ut causam hanc perduceret eique vel plurima impedimenta afferret. Re igitur infecta in patriam revertit. Anno 1585 Goslicium denuo Francofordiae ad Oderam coram electoribus Saxoniae et Brandenburgiae, a Caesare constitutis legatis eandem egisse causam ex Stephani regis ipsius verbis intelligimus, quae in Dogieli codice diplomatico leguntur²⁾: „significamus, . . . quia nos ablegavimus in Germaniam legatum et commissarium nostrum, Laurentium Goslicki de magna Goslicza, praepositum Cracoviensem, ex primis consilii nostri secretarium, ipsique plenariam potestatem et facultatem dedimus.“ Sed tum etiam nihil profecit. Julius dux, quum intelligeret, justa Stephani postulata jam in eo esse, ut probarentur, nomine uxoris suae, quae ex domo Brandenburgica nata, Sigismundi primi Poloniae regis, uxoris Barbarae neptis, Joannis autem, Ungariae quondam regis sororis filia erat, non modo Sepusiam magnam partem Turcarum potestati subditam, verum etiam totam Transsylvaniam repetebat.³⁾ Quo modo factum est, ut causa haec in medio relicta paulatim oblivione obrueretur. Eodem anno Goslicius adhuc laudibus doctrinae magnaеque eruditionis ac munus legati fideliter et prospere obeundi praestans, majorem etiam consecutus est gloriam laude disertissimi oratoris, qui potissimum arte animos sibi conciliandi valeret, quum in comitiis generalibus Varsaviae habitis nomine ordinis ecclesiastici tam rationum pondere, quam verborum elegantia insignem recitasset polonicam orationem, regi persuasurus, uti sacerdotibus decumas atque jurisdictionem ecclesiasticam restitueret.

Inter alia sic ad regem loquitur: „Haec omnia, Rex Serenissime, apud homines regno tuo subjectos consequeris, quum Ecclesiae Dei administratoribus jus proprium restitueris,

¹⁾ Heydenstein l. c. p. 226.

²⁾ Dogiel, codex diplomaticus p. 500.

³⁾ Heydenstein l. c. p. 227.

quum ecclesiasticam disciplinam et administrationem iis, ad quos hoc munus divinitus delatum est, sacerdotibus reservaveris.“ Tum „(rogamus te), ut certis cancellis et limitibus jurisdictionem ecclesiasticam circumscribas et definias et denique judicem, cujus aequitate ecclesia Dei jactata et debilitata recreetur, excites.“

Res, quam praeterea Bolognetti, nuntius apostolicus summis adjuvabat viribus, prospere cessit. Quae oratio quanto pere probata sit, jam inde conjici potest, quod ei undique meritae impertiantur laudes. De qua canonici posnanienses in gratulatione jam supra commemorata hoc fere modo verba faciunt: „Quam vero constans et invictum pectus obtuleris pro rei ecclesiasticae tutela, quamve fortiter Christi patrimonium contra rapinas et immane improborum sacrilegium propugnaveris, ordinis ecclesiastici defensio tua in senatu ore adhuc omnium magna cum universorum approbatione celebratur.“¹⁾ Eadem fere patres societatis Jesu Goslicio gratulantes profitentur. „Nota sunt — haec sunt eorum verba — illa pro ordine ecclesiastico tua in publico apud Varsaviam conventu explicata consilia, in luce omnium posita, quae tu tanquam bonus ecclesiae sacrosanctae filius, videns eam lacerari, patrimonio spoliari, pauperum sacerdotum turbam imbellem oppugnari, fortunas eorum everti, animo imperterritito suscepisti, ornate dixisti, prudenter effecisti “

Dolendum tamen hanc eximiam orationem, quae pulcherrimis Petri Skargae orationibus jure apponi potest, latinis enuntiatis verbisve inquinatam esse, quorum in linguam polonicam inserendorum tum mos esse coeperat. Praeterea hoc loco animadvertendum mihi esse existimo, inveniri tales, qui orationem hanc latinam nuncupent.²⁾ Qui in magno versantur errore, neque unquam orationem hanc vidisse videntur. Typis impressa est in libro ita inscripto: „Postulata ordinis eccle-

¹⁾ Oratio ab Admodum Rndo Domino Joanne Dziekczynski habita nomine capituli Posnaniensis A. 1601.

²⁾ Cf. Łętowski: katalog biskupów etc. krakowskich. T. III. p. 32. Chodyniecki: Dykeyonarz uczonych Polaków T. I p. 179.

siastici universi in regno Poloniae coram S. M. regia, ordine senatorio et equestri in comitiis Varsaviens. Generalib. a. d. 1585 habitis proposita“ ac Posnaniae cura Jacobi Brzeźnicki, canonici posnaniensis secretariique regii edito. Iterum est publicata Cracoviae a. 1632 in libro: „De controversiis inter ordinem ecclesiasticum et saecularem in Polonia“ excusso jussu Andree Prochnicki, archiepiscopi Leopolitani.

Mirum sane Goslicium tot tantisque negotiis confectis, tot laboribus exanclatis nullum adhuc altiore dignitatis gradum consecutum esse. Etiamtum enim a. 1585, quo pacta ad portorium Gedanense spectantia attigerat, nullis aliis, nisi decani cracoviensis, plocensis, sandomiriensis fungebatur honoribus.¹⁾ Quod etiam mirabilius fit, quum toties se Goslicii ad majores dignitates perducendi praebuerit opportunitas. Jam a. 1578 munere vicecancellarii Regni vacante, opinio popularis inter alios et Goslicium in numero eorum ponebat, qui hoc munere dignissimi putarentur. Neque aliter, quum a. 1585 munus hoc iterum vacuum esset, res se habebat. Sed Zamoyscius, Regni cancellarius factus, qui in aula regia plurimum pollens potestate distribuendorum honorum fruebatur, primum Joanni Boruchowscio, tum Alberto Baranovio, viris Goslicio multo inferioribus, honorem hunc detulit. Cujus facti causam Piaseckius optime intellexit. „Alioquin, inquit, aderant tunc in aula regis tanto magistratu habiliores, nempe Stanislaus Ossowski..., Laurentius Goslicki, humaniori literatura et eloquentiae laude ac legationibus ad externos principes feliciter peractis clarus, licet audacior virtutis propriae fiducia, aliique..., ut istos in tali magistratum partitione posthaberi injuriosum fuisse communis opinio reputaret. Sed Zamoyscius judicabat, consultius fore sibi, si in eo magistratu, nomine quidem et gradu inferiori sed potestate fere pari, non aemulum sed collegam eumque tanto beneficio sibi devinctum haberet.“²⁾ Itaque rex moribundus fere a. 1586 demum meritorum Goslicii memor eaque remuneraturus auctor fuit, ut ille Martino Bialobrzescio mortuo

¹⁾ Lengnich. Tractatus portorii p. 119.

²⁾ Piasecki: Chronicon gestorum in Europa singul. p. 12.

episcopus camenecensis simulque abbas opimi monasterii Clarae Tumbae fieret¹⁾).

Stephano mortuo, interregni spatio latissimus se ei campus obtulit, in quo uno volitans tenore nova quum summae industriae ac sedulitatis, tum insignis rationis ingenii-que documenta daret. Etenim in comitiis convocationis causa, sicut mos Polonorum secum ferebat, a. 1587 Varsaviae celebratis, quum qui novam fidem amplexi sunt, efflagitarent, ut, quae iis ex confoederatione a. 1573 concessa erant privilegia, sancirentur, episcopi conclamarunt, nec loco nec tempori consentaneum esse, hac de re disceptare, praesertim quum ex Sigismundi I decreto in his comitiis nihil nisi diem electionis constitui oporteret²⁾. Quo tamen argumento dissidentibus haudquaquam motis ac nihilominus incepto perstantibus, episcopi, duobus non nisi exceptis, Joanne Demetrio Solicovio nuper Roma, quo a Stephano ad pontificem Sixtum V ablegatus erat, reverso ac Goslicio nostro comitia deseruerunt³⁾. Qui violentas dissidentium preces evitaturi, quibus salva conscientia se morem gerere non posse censebant, mox priorum exempla secuti sunt.⁴⁾ Quum autem pacta nulla ratam possiderent vim, nisi talia, quibus senatores et saecularis et ecclesiastici consentirent ordinis, nihil dissidentibus restabat, quam ut in Goslicio, quippe qui ad pagum suum Decanovium haud procula Varsavia situm se contulisset, ultimam collocarent spem. Neque haec eos frustrata est. Goslicius quum intellexisset, fore, ut, si diutius haesitaret, interregni tempore prorogato, patria satis superque discordiis turbata in majus etiam discrimen vocaretur, Varsaviam statim et in senatum redux ac pater patriae salutatus, nomen suum confoederationis actis imposuit,

¹⁾ Niesiecki: Herbarz polski wyd. Bobrowicz. Lipsk. 1839. T. IV. p. 226. Simon Starowolscius: Monumenta Sarmatarum viam universae carnis ingressorum. Cracoviae a. 1655. p. 442.

²⁾ Rzepnicki: Vitae Praesulum Poloniae. T. II. p. 143.

³⁾ I. D. Solicovii: commentarius rerum polonicarum a morte Sigismundi Augusti Dantisci 1647 p. 183; Joachim Bielski: Dalszy ciąg kroniki polskiej wyd. Sobieszczański. Warszawa 1851. p. 6.

⁴⁾ Solicovii: Comentarium p. 184; Joachim Bielski l. c. p. 7; Buzęński Stanisław: Żywoty arcybiskupów gnieźnieńskich p. 107.

adjectis tamen verbis: „propter pacis bonum.“¹⁾ Załuski quidem in libro „Dwa miecze etc.“ perhibet eum ad hoc factum armatis dissidentium precibus compulsus fuisse.²⁾ Quod non possum nisi refutare, quia persuasum habeo, Goslicium non fuisse ejusmodi, ut minis ad rem, cui ex animo non studebat, perpetranda commoveri potuerit. Quo igitur facto licet summum patriae amorem atque virtutem fiducia rei bene gestae fultam testatus esset, fieri tamen non potuit, quin iram odiumque ceterorum episcoporum sibi contraheret, quum id, cui omnes summis resistebant viribus, conficere ausus esset. Itaque quum alii eum proditionis perfidiaeque incusarent, alii autem, quod clam ad novam religionem propenso esset animo, crimini darent, Solicovius solus archiepiscopus Leopoltanus, cui vetus jam a puero, uti supra dixi, necessitudo cum Goslicio intercedebat, ei patrocinans indulgentiam ab episcopis implorabat.³⁾ Quapropter, utcunque res cesserit, jure Piaseckio autore⁴⁾ statuendum mihi esse videtur, rem hanc Goslicio postea gravissimo fuisse obstaculo, quominus summos honores ecclesiasticos, quibus eum ingenium doctrinaque dignum redderent, assequeretur. Verumtamen episcopos brevi in hac causa remissiores praeuisse animos, ex literis Annibalis Capuensis, nuntii apostolici in Polonia morantis ad cardinalem Montalto Varsavia die 26 Augusti 1587 missis colligi licet.⁵⁾ „Quod autem causam episcopi camenecensis, inquit Annibal, spectat, archiepiscopus gnesnensis non modo non publicavit censuras ecclesiasticas in eum collatas, verum etiam non misit ad eum epistolam, cujus exemplar mihi tribuerat quamque ad eum dedisse affirmaverat. Immo vero, quum hic omnes praelati adessent, episcopus camenecensis praesentibus et Primate et aliis episco-

¹⁾ Solicovii: Commentar. p. 184; Piasecki: chronicon p. 57; Vol. legum T. II p. 1067; Janotzki: rare pol. Bücher T. III p. 92.

²⁾ Załuski: dwa miecze etc. p. 328.

³⁾ Piasecki: Chronicon p. 57.

⁴⁾ Piasecki: l. c.

⁵⁾ Confer opus Alexand. Przeddziecki: Annibal z Kapui-Warszawa. 1852. p. 86.

pis factum suum excusabat atque postea publice se illius convocationis actis subscripsisse confessus est, sed semper a confoederatione alienum se praebebat, sicut D. V. jam supra certiores feci.“ Ceterum comitiis, quibus electio novi regis agitata, res secus, ac sperari poterat, cecidere. Episcopi enim adeo in sententiis suis non perseverarunt, ut illa convocationis acta rata esse juberent, quamvis se id excepta tantum confoederatione facere assererent.¹⁾ Qua causa finita, aliud sane certamen exstitit. Ubi enim magna principum exterorum copia, qui Poloniae regnum appetent, tantopere est minuta, ut duo potissimum superessent, qui spem non ex incerto conceptam habere possent, fore, ut regnum assequerentur, suetici nimirum regis Joannis filius, atque archidux austriacus Maximilianus, Poloni in duas discesserunt partes, quarum altera austriacis, altera sueticis favebat rebus. Quarum quum alteri austriacae Stanislaus Górká Zboroviique, alteri autem Zamoyscius, magnus Regni cancellarius, praeessent, viri summa auctoritate in republica florentes, sed perpetuo invicem se impugnantes, ex ipsa rei natura secutum est, ut hac nova occasione oblata vetus exardesceret odium idque conflatum armis tantum in campo electionis levare posse videretur. In hoc gravissimo rei discrimine Goslicio simul cum Stanislao Safranecio, palatino sandomiriensi ac Nicolao Firlejo, castellano biecensi, interpretum munere functis contigit ira accensos placare animos²⁾. Sed et ipsum ad utram se inclinaret partem, ostendere oportebat; oblitus igitur rerum, quae se a Zamoyscio abalienare possent ac vocem conscientiae secutus, cum istius factione societatem iniit.³⁾ Post multa eaque gravia certamina partes Zamoyscianas praevaluisse ac Sigismundum regem electum esse, ex historia patet. Cui quum ordines pruthenici soli obstitissent, postulantes, ut rex seorsum, se privilegia illorum servaturum esse juraret, Goslicius a senatu ad eos ablegatus et hanc sustulit difficultatem, quippe qui illis persuasisset, vulgari illo ju-

¹⁾ Volumina legum T. II p. 1088.

²⁾ Heydenstein: Commentarius p. 252.

³⁾ Heydenstein: l. c. p. 260.

ramento, quod rex daturus esset, illud quoque contineri.¹⁾ Quibus rebus confectis Goslicius efficacitate, qua excellabat commotus neque se otio frui debere ratus, pactis conventis, quae dicuntur, componendis vel summam dedit operam ac legatos sueticos qui Sigismundi vices obibant, illum ea sancturum esse jurare jussit.²⁾ Accessit, ut, quum rex delectus iter in Poloniam ingressus esset, ordines regni Goslicio honorem illius jam in regni finibus excipiendi ac salutandi deferrent. Neque communem destituit expectationem. Itaque modico a Cracovia intervallo, quum omnes, qui tum in urbe aderant senatores, obviam regi egressi essent, Goslicius eorum nomine illum disertissima oratione polonice instituta est allocutus, cu rex et ipse polonica respondit oratione, quum expedita, tum gravitatis et humanitatis plena, qua magnum sibi favorem totius populi comparavit³⁾.

Neque fieri potuit, quin Sigismundus ingentem Goslicii gloriam laudemque ubique jam per Poloniam pervagatam brevi probaret. Quapropter eum jam initio proximi anni 1589 ad majorem in ecclesia dignitatem, ad episcopatum chelmsensem provexit, quod quidem ex epistola quadam jam supra commemorati nuntii Apostolici Annibalis Capuensis apparet⁴⁾. In hac enim epistola, 27 Maji a. 1588 Cracoviae exarata, qua Annibal cardinalem Montalto, quo modo a novo rege acceptus esset, certiore fecit, his utitur verbis: „Quum mille passus ab

¹⁾ Lengnich: Geschichte der preussischen Lande T. IV p. 17—18.

²⁾ cf. Volum. legum. T. II p. 1094, p. 1100 §. 17.

³⁾ Bielski Joachim l. c. p. 82; Heydenstein commentarius p. 277. Piasecki: Chronicon p. 66; Rzępnicki: Vitae praes. Pol. T. II p. 144; Niesiecki: T. IV p. 225; Bużeński: Żywoty arcybiskupów gnieźnieńskich T. II p. 120; Janotzki rare pol. Bücher III p. 92. Quae Goslicii oratio typis Cracoviae in officina Lazari a. 1857 impressa ita est inscripta: Witanie rady i stanów koronnych polskich do króla IMCI Zygmunta III w polu przed miastem Kazimierzem pszez IX. Wawrzeńca Goślickiego, biskupa kamienieckiego, czynione d. 10 Grudnia r. 1857; iterum in publicum prodiit in „collectione orationum polonicarum“ a Małeckio confecta.

⁴⁾ cf. Przewdziecki: Annibal z Kapui p. 132—133.

urbe abessem, obviam mihi venerunt aulici regii, quorum magna erat copia, sed in ea duo potissimum eminebant senatores a rege simul ac senatu, qui me comitarentur, designati, scilicet episcopus camenecensis, nunc nominatus chelmensis et castellanus podlasiensis (Martinus Leśniowolscius).“ Nec multo post: „Monsignor episcopus camenecensis nomine regis orationem egit, qua asseruit, regem singulari sibi gratiae ducere, quod Pontifex Maximus legatum suum mittat, qui eum regem Polonorum agnoscat atque in capite Poloniae resideat; quamobrem regem semper se obsequentem ac facilem tam Pontifici Maximo, quam sedi apostolicae praebiturum esse, me autem singulari prosequi amore.“

Antequam longius progrediar, ad archiducem Maximilianum orationem convertere me oportet, qui ab omni derelictus fortuna, quum ad Byczynam adverso pugnasset Marte, a Zamoyscio captus Crasnostaviae tenebatur. Cujus quum imperator Rudolphus ac nuntius apostolicus mox partes suscepissent, factum est, ut Baedziń, in oppido in confiniis Silesiae sito oratores utriusque partis convenirent, qui de conditionibus, quibus alligatus Maximilianus libertatem redimeret, deliberarent. Quibus pactis tractandis nemo nisi Goslicius, qui pro ingenii acie, quam toties praestiterat, polonicis legatis praeerat, singularem navasse curam eaque ad prosperum perduxisse exitum putabatur.¹⁾ At antequam archiduci in patriam discedere licebat, Sigismundus Crasnostaviam est profectus ejus salutandi causa atque inter alios Goslicius quoque eum illuc est comitatus²⁾. Hoc loco addendum esse videtur, Goslicium, etsi jam superiori anno episcopus chelmensis, uti supra commemoravi, a rege electus sit, etiamtum tamen a pontifice probatum non esse. Quod rex magnopere indignatus, quum Crasnostaviae optima se prae-buisset occasio acerbe Annibalem nuntium apostolicum increpuit, per quem stetisse, quominus id fieret, putabat.

¹⁾ Piasecki: Chronicon p. 74.

²⁾ Cf. Ambrozy Grabowski: Starozytności polskie, Kraków 1840 T. I p. 90; Przewdziecki: Annibal z Kapui p. 220.

Hoc enim ex epistola Annibalis Crasnostaviae ad cardinalem Montalto d. 29 Maji 1589 data est manifestum ¹⁾. „Postea . . . inquit Annibal, quam vehementissime rogavit me rex, ut quam primum a pontifice impetrem, ut antistites in illis collocentur cathedris, quae illis adhuc vacant, quum summum detrimentum capiant „in spiritualibus et temporalibus“ et praecipue kijoviensis etiam sacerdotibus privata. Respondi, me regis mandata exsecutum esse, sed causam gravissimam inde manare, quod legatus nondum Romam missus esset, quem jam pridem eodem profectum esse oporteret.“ Goslicius ipse rem hanc dilucidius etiam adumbrat epistola ad Stanislaum Rescium, tunc Referendarii Sacrae Poenitentiariae munus Romae gerentem data, qua se a pontifice per tam longum tempus duci vehementissime dolet. ²⁾ „Abhinc annos quinque, queritur Goslicius, episcopus Chelmo discessit; quapropter nescio, quid cogitem. Accidit Crasnostaviae, ut rex e senatus consulto aspere nuntium apostolicum admoneret „ne Sanctissimus hasce expeditiones arceret cum scandalo ecclesiae Dei et dignitatis regiae. Legatum missum iri, sed tempore, quo opus futurum esset. Antehac reges tales dumtaxat misisse legatos, qui pontifici perpetuum pollicerentur obsequium; se vero tantis difficultatibus irretitum teneri.“ — Quae verba nuntio gravia visa sunt; ac paulo post ita me est allocutus: „Jam nunc urgebo expeditionem DD. episcoporum et quae mihi Regia Mtas mandavit.“ Inde colligo, Annibalem huic rei summo fuisse impedimento.“

At si respexerimus, privata inimicitia jam neglecta, quae ei fortasse cum Annibale intercedebat, pontificem recenti tenuisse memoria, qua ratione ille in comitiis Varsaviensibus se commendasset, res optime enodatur. Atque tali rerum conditione effectum est, ut etiamtum pontifex ad majorem in ecclesia dignitatem provehere dubitaret virum, qui, quum confoe-

¹⁾ Przewdziecki: Annibal z Kapui p. 225.

²⁾ Epistola Laur. Gosl. ad Stanislaum Rescium die 15. Junii 1589 ex Clara Tumba Romam data et in opere Ambrosii Grabowskii: Starożytności polskie T. I p. 90-97 in medium prolata

derationi dissidentium consensisset, hand firma fide praestare videretur. Itaque tam epistola Varsaviae d. 15 Martii 1589 ad Pontificem Maximum Sixtum V data, qua eum rogat, ut S. Hyacinthum in beatorum numerum referat¹⁾, quam actis comitiorum²⁾ mense Aprili Varsaviae celebratorum, ubi princeps eorum, qui jura terrestria corrigenda tractarent, est electus, Goslicius nominatum non nisi episcopum chelmemsem se offert. Nominati denique episcopi chelmensis honore fungenti nomine regis ordinumque mense Septembri ejusdem anni munus archiducis Maximiliani in Silesiam usque simul cum Nicolao Zebrzydovio, arcis Cracoviensi praefecto, quibusdamque aliis deducendi est delatum³⁾. Quum vero ea, quae novum hoc munus curans confecit, majoris sint momenti, quam quae negligi vel leviter tantum tangi possint, rem studiosius explanare mihi in animo est. Itaque legatī polonici, quum Olkussi Maximiliano obviam venissent, eum usque ad Silesiae fines deduxere. Ubi simulac ventum est, magna Polonorum copia affuisse fertur, qui Maximiliani antea partes secuti tum miseram conditionem suam effingerent gravique illi crimini darent, quod a patria ipsi intercluderentur. Tum Maximilianus ad eos, qui ipsum comitati sunt, conversus, quonam id pacto fieri posset, quum omnibus sociis suis impunitas jam renunciata esset, interrogavit Cui Goslicius aspere respondisse fertur: „sibi ipsi tantum consuleret ac Polonis gratias ageret, quod pro tam modicis conditionibus libertatem recuperasset. Haec quidem Andreas, episcopus Vratislaviensis, qui Maximiliano ab imperatore comes additus est, ad Rudolphum retulit.⁴⁾ Sed

¹⁾ Cf. Lubomilius Roxolanus: de vita, miraculis et actis Canonizationis S. Hyacinthi, Confessoris ordinis FF. Praedicatorum Romae 1594 p. 280.

²⁾ Cf. Volumina legum T. II p. 1271.

³⁾ Cf. Joachim Bielski l. c. p. 98, Solicovius: Commentarius p. 209; Przewdziecki l. c. p. 230.

⁴⁾ Cf. Des Ollmützer Bischoff Stanislaus Pawłowski Gesandtschaftsreisen nach Polen dargestellt von Eduard Edlen von Mayer 1861. p. 184.

utrum verba haec reapse vera sint, an malitiae viri Polonis infestissimi tribui debeant, in incerto reliquendum esse puto, quum res omnino dijudicari non possit. Id tamen constat, Maximilianum juramentum, quippe quod ipsum ex pactis Baedziensibus jurare oporteret, se omnia, quae ibi essent statuta, servaturum esse, recusasse ac legatos polonicos etsi invitos eum Bythomiam, in oppidum jam in Silesia situm secutos esse¹⁾. Ubi illis ad se accessit Maximilianus hoc fere modo mentem suam aperuit: „Se iis gratiam agere ideo, quod ipsi honorem in patriam reducendi tribuerint. Quum autem intelligat a sese expectari confirmationem et jusjurandum eorum omnium, quae praeterita hieme in eodem loco transacta sint, ipsi autem multae eaeque gravissimae obstent causae, quominus expectationi illorum satisfacere possit, id ipsum iis hic indicare necessarium duxisse. Se enim juramentum nequaquam praestare posse, sed daturum sese operam, ut quam primum regni Poloniae ordines, quid in animo habeat, certi aliquid scire ac perspicere possint.“ Ad quae quum prolixè respondisset Goslicius ac multa, quae ad urgendum jusjurandum magni momenti esse videntur, protulisset, Maximilianus causam suam omnino diversam ac separatam esse a foederibus regnorum Bohemiae et Poloniae declaravit, neque impedire pacem inter ista regna constitutam, nisi ipsimet Poloni eam violarent. Qua re commotus Zebrzydovius et ipse multa fecit verba, sed quum sese nihil perficere animadverteret, ira percitus Maximilianum ad certamen provocabat, hoc modo ignominiam sibi allatam abluturus; ac perfecit, nisi Goslicii prudentia prohibitus fuisset, qui imperatorem Rudolphum hoc Maximiliani factum nulla ratione probaturum neque inde ullum regno Poloniae periculum emanaturum esse, jure persuasum habebat.²⁾ Isto autem munere

¹⁾ Cf. Heydenstein p. 285 l. c., Piasecki Chronicon p. 88—89.

²⁾ Cf. Sebastiani Ciampi: *Flosculi historiae Polonae* 1830 p. 18—23; des Ollmützer Bischofs Stanislaus Pawłowski *Gesandtschaftsreisen nach Polen* p. 188; Piasecki: *Chronicon* p. 126; Heydenstein *commentarius* p. 286; Ambroży Grabowski *Starożytności polskie* T. I p. 80—84.

functus et in patriam redux tantum aberat, ut, quamvis duo fere anni ex eo praeteriissent tempore, quo a rege episcopus chelmensis electus esset, tandem a pontifice comprobaretur, ut proximi demum anni 1590 initio episcopatum illum administrandum acciperet, quamquam in actis synodi Petricoviae die 2 Octobris 1589 celebratae se jam episcopum chelmensem nuncuparat¹⁾. Quod optime ex epistola ipsius ad Stanislaum Rescium Clarae Tumbae d. 23. Februarii 1590 data intelligi potest. „Duae epistolae tuae, scribit Goslicius, gratissimum mihi nuntium atulere, me tandem ad illum episcopatum provectum esse; quapropter nomen Dei laudetur, quod tandem, tandem Quantam vero jacturam hac mora passus sim, prae dolore narrare nequeo.“ Quum vero satis grandem pecuniae vim Romam misisset, quae occasione episcoporum sancientorum pontifici solvi solebat, ille autem, cardinalis de Monte-alto cura hoc gratuito perfecisset, hujus rei talem fecit mentionem: „Quod vero scribis, ut illam pecuniam xenodochio Polonico Romae cedam, si oculos in Claram Tumbam atque episcopatum conjicere posses, quae milites ad bellum contra Turcas profecturi devastarunt, certe fatereris, me tantam jacturam ferre non posse.... Quapropter viginti nummos aureos ungaricos suppedites, quaeso, illi xenodochio, id autem, quod supererit, prospera occasione remittas mihi velim.“²⁾

Nescio an ad haec obstacula jam tum patres societatis Jesu, Romae plurimum valentes alia quoque impedimenta contulere, quos sibi Goslicius infestissimos reddidit, quum patrocinium universitatis Cracoviensis suscepisset, quam illi tollere ejusque sublatae loco scholas suas instituere conabantur. Neque patres societatis Jesu hac acquieverunt injustitia, verum etiam actis synodi Petricoviae duce archiepiscopo gnesnensi, Stanislao Carncovio, Primate regni die 2. Octobris a. 1589 celebratae nescio quid falsi inseruerunt, quod securim universitati cracoviensi injicere posset. Tum Goslicius justis sensu commo-

¹⁾ Constituta hujus synodi p. 16 in epistol. Chelm. Nakiel p. 770.

²⁾ Ambroży Grabowski: Starożytności polskie T. II p. 435.

tus, qui in animum inducere non potuit, ut injustitiam praevalere permetteret, ad pontificem Sixtum V. ipse epistolam misit, quam quin afferam facere non possum¹⁾.

„Sanctissime et Beatissime Pater . . ., (scripsit Goslicius)
„Academia Cracoviensis in regno Poloniae pietatis et religionis catholicae magistra, semper fuit ecclesiae Dei et reipublicae seminarium, sedis apostolicae romanae cultrix; istius gloriae haereditatem a multis saeculis ad haec usque tempora cum maxima ecclesiae et regni hujus utilitate integre conservavit et etiamnunc per Dei gratiam conservat, ita quidem, ut haec sola in hac urbe regia, Regni primaria praecipuum se obicem haereticis posuerit, ne illi sedem licentiae suae in ea erigere valuerint. Quidam ex ordine societatis Jesu aemulatione fortasse pia ducti, conantur eorum jura et consuetudines labefactare, quod ex eorum literis S. V. melius agnoscet et judicabit, cujus solius tanquam Vicarii Christi rectum est judicium. A me tamen fides et officium requirit, ut S. V. doceam, ab eaque humiliter petam, ut utrosque jure et officio libere uti jubeat. Maneant academicis jura sua, maneat Societati studium exercendae pietatis; alter alterius tueatur honorem et dignitatem. In synodo quidem facta fuit ejus rei mentio, sed pro academicis causa stetit, ut illorum jura et consuetudines illibatae permaneant, quum tamen postea nescimus quid: in synodales constitutiones inscriptum esse dicatur, quod academicorum jura et praerogativas perstringit. Ne id scandalo sit in ecclesia Dei et in reipublica S. V. provideat, et ita de academia cracoviensi sentiat et judicet, illam in hoc regno nemini partes primas in religione catholica tuenda concessuram. Commendo me et obsequia mea devotissima in gratiam S. V., quam Dominus servet sanam et incolumem. Datum Clarae Tumbae 18. Februarii 1590.

Qua epistola quum id effecit, ut acta synodi aptarentur atque corrigerentur, sicut ex libro rarissimo causam hanc spec-

¹⁾ cf Ossolinscium in vita Goslicii. Annotatio 4.

tanti et ab Ossolinscio in medium prolato¹⁾ comperimus, tum persuasit pontifici, ut intercederet, ne patres societatis Jesu id, quod moliebantur, perficerent. At credere noli, causam hanc jam tum transactam esse; immo eam per longum etiam tempus ductam Wladislao IV demum regnante, committis a. 1633 habitis ita esse dijudicatam, ut academiae cracoviensi soli jus tenendi scholas publicas vindicatum sit, Piaseckius disertissimo est documento²⁾. Interim Goslicius re vera episcopus chelmenensis factus, non multum afuit, quin eodem etiam anno in episcopatum plocensem transferretur. Petro Dunimo enim a. 1590 mortuo, Sigismundus rex Goslicio pro certo pollicitus est, se eum Dunini loco plocensem episcopum statuturum. Mox vero de sententia destitit. Quum enim animadvertisset, potentiam auctoritatemque Zamoyseii, magni Regni cancellarii in dies augeri ac periculum minari, Alberto Baranovio, tum regni vicecancellario et episcopo premisliensi, viro summa familiaritate cum Zamoyseio conjuncto, episcopatum plocensem administrandum tradidit, quo pacto eum cogeret, ut vicecancellarius esse desineret. Quibus compertis Zamoyseius summa virium contentione studebat, ut Baranovius vulgari illo more exciperetur retineretque vicecancellarii munus; sed nihil est assecutus, praesertim quum Baranovius ipse munere illo sua sponte se abdicaret, quod tum Joanni Tarnevio, regi beneficii vinculis obstricto, Zamoyseio autem infensiori est delatum³⁾. Quae quum ita facta essent, regem Goslicio episcopatum premisliensem curandum commisisse atque ut id probaret, a Pontifice Maximo Gregorio XIV epistola 10. Januarii a. 1591 Varsaviae data petiisse, ea tamen lege, ut Goslicio praeterea abbatiam Clarae Tumbae tenere liceret, ex Theineri monumentis histori-

¹⁾ Liber: pro universitate generalis studii Cracov. contra PP. Soc. Jesu. Cracoviae, referente in Signatura SS. R. P. D. Andosilla, Venetiis in typographia Nicolai Misserini impressus et ad Urbanum VIII. pontificem missus; cf. Ossolinscium Ann. 5.

²⁾ Piasecki: Chronicon p. 548; Franciscus Pawłowius: Premislia sacra p. 342.

³⁾ Piasecki p. 106. l. c.

cis polonicis patet¹⁾. Itaque Goslicium unum vixdum annum in episcopatu chelmensi moratum jam ante mensem Julium novo munere fungi coepisse verisimillimum est²⁾.

Jam hoc ex tempore Goslicio, quippe qui toties de patria optime meritus jure otium requirere posset, negotia publica conficienda rarius committebantur, quamvis postea saepenumero ingenii acie atque etoquentiae vi omnium moveret admirationem. Itaque a. 1592, quum Sigismundus rex, Annam Caroli, Styriae ducis filiam in matrimonium duxisset, Goslicius nomine Annae, Stephani uxoris etiamtum viventis nomine, disertissima oratione novam salutavit reginam³⁾.

Attamen insignia naturae ejus munera uberrime doctrina literisque exulta etsi ultimo, splendidissimo tamen enituerunt fulgore, quum a. 1596 tam Clementis VIII, pontificis maximi legatus a latere Henricus Gaetano cardinalis, quam Rudolphi imperatoris orator, Andreas, episcopus Vratislaviensis in Poloniam venissent, Polonos ad magnum communeque bellum contra Turcas stimulaturi⁴⁾. Etenim comitiis a. 1596 mense Aprili Varsaviae celebratis, in quibus causa haec agitabatur, nomine ordinum regni exteris legatis responsa referebat, et quia ipse a foedere hoc alienissimo erat animo, summopere suis, ne istud inirent, dissuadebat, funestissimos exitus, qui inde profecturi essent, adumbrans. Unde consequitur, ut in iis non haberi non possit, quos postea Gaetano cardinalis orationes suas suorumque longo studio virorum Romae eloquentiae latinae peritissimorum elaboratas, extemporalium orationum elegantia aequasse atque interdum superasse fassus est⁵⁾. Quibus vero rebus praeclare gestis jam senectuti appropinquans episcopus removet se a negotiis publicis et traducit vitam tranquillam, episcopalibus tantum laboribus et officiis deditus.

¹⁾ Theineri: monumenta historico-polonica. T. III p. 190.

²⁾ Franciscus Pawłovius: l. c. p. 332.

³⁾ Heydenstein: Commentarius p. 296.

⁴⁾ Heydenstein: l. c. p. 304.

⁵⁾ Piasecki: Chronicon p. 140—141; Bużeński Stanisław: żywoty arcybiskupów gnieźnieńskich. T. I p. 146; Joachim Bielski l. c. p. 214.

Priusquam igitur in vita ejus enarranda pergamus, placuit nobis hoc loco de primario ejus opere: „de optimo senatore“, utpote a nemine adhuc in examen vocato, nisi forte Ossolinscium exceperis¹⁾, aliquanto uberius disserere. Opus hoc tali instructum est titulo: „Laurentii Grimalii Goslicii: de optimo senatore libri duo, in quibus magistratum officia, Civium vita beata, rerumpubl. felicitas explicantur.“ Editio prior Venetiis apud Jordanum Zilettum 1568 in 4^o typis impressa continet folia 83 atque ad adregem Sigismundum Augustum est missa. Posterior editio Basileae a. 1593 in 8^o in publicum edita impensis Roberti Cambiers ab Janotzkio²⁾ multo emendatior priore est judicata. Odilsworth opus hoc in sermonem Anglicanum conversum edidit Loudini a. 1737 et hoc quidem armatum titulo: „The accomplished Senator in two books etc.“

Materia ipsa de optimo reipublicae statu ac perfecto senatore, maxime digna illis temporibus esse existimabatur, de qua uberrime disputaretur, quum vario modo atque tam per Polonos, quam Germanos et Italos tractata exstet. Aliis praetermissis operibus haec tantum afferam: Francisci Patricii: de regno et regis institutione libri novem. Parisiis 1578; Casparis Dornavi: Menenius Agrippa, hoc est corporis humani cum reipublica perpetua comparatio, Hanoviae 1615; Jacobi Simancae, Pacensis episcopi: de reipublica libri novem. Venetiis 1569; Casparis Contareni, Patricii Veneti: de magistratibus et reipublica Venetorum, libri quinque aliaque. Sed ad opus nostrum aggrediamur, cujus periocham breviter, quoad id fieri possit, adumbrare conabimur.

Librum Sigismundo Augusto dedicaturus, enumerat philosophus noster in praefatione res, quae potissimum rempublicam beatam reddere possint, ac principem in iis locum exemplum optimi regis obtinere nuncupat. Huic rei documento potest esse rex ipse, cujus laudes effert et a quo petit, ut excuset

¹⁾ cf. Ossolinscium in vita Goslicii p. 87—89.

²⁾ cf. Janotzki: Nachricht von den raren poln. Büchern. Dresden. 1747. Pars III p. 93. §. II.

difficilia parvis viribus prosequentem ac pro clementia sua benigne libellum excipiat. Rem ipsam incipit explanatione, cur sibi de optimo senatore dicendum proposuerit et hoc fere modo philosophatur. Omnium talium disciplinarum, quae aliis prosint, praestantissima est civilis scientia, quae in reipublicae administratione versatur. Ex ea igitur — ita concludit — et equidem nonnulla in medium prolaturus sum et persuasum habeo, id quod volo, optime me assecuturum, si disputationem de optimo senatore, de ejus virtutibus, officiis, dignitate instituerim. Sed „non senatoris ideam fingo, quae sola mentis acie comprehendi solet, cujus in coelis imago, in terris ne umbra quidem reperiatur: qualem Plato reipublicae, Cicero oratoris finxerunt. Nostra omnis dicendi ratio in medio posita est et a communi hominum usu consuetudineque non recedit“¹⁾).

Deinde rerum distributionem facit et primum de optima reipublicae forma, de senatoris educatione disciplinaque, denique autem de ejus virtutibus et officiis disserturum se esse promittit.

Homo administrandi mundi cum Deo communem potestatem habet et duae reipublicae sive civitates sunt ei gubernandae, altera totius mundi, altera, cui unumquemque adscripsit conditio nascendi. Prioris reipublicae gubernationem animo solum comprehensam teneat, hanc rerum naturam perlustrans ac cognoscere studens. In quo conspectu cognitioneque naturae principem se totius orbis appellare potest, simili modo ac Socrates mundanum se esse dixit. Haec civitas igitur hujus universi terminis est comprehensa et cives ejus Philosophi appellantur. Qui etiamsi inviti ad alteram quoque rempublicam certis circumscriptam cancellis, gubernandam compelli debent, quam soli recte regere possint²⁾. Exemplis antiquitatis philosophorum ductus tria rerum publicarum genera statuit: βασιλείαν sive μοναρχίαν ἀριστοκρατίαν et δημοκρατίαν. Gubernantium vitiis hae reipu-

¹⁾ Fol. 1^b: In locis citandis utor editione Venetiana, quae in folia est divisa; propterea priorem folii paginam litera ^a, alteram litera ^b designo.

²⁾ cf. Plato de republ. VI p. 498 b. c; VI p. 499 c, c, d.

blicae formae mutantur et existunt: *τυραννίς*, *ὀλιγαρχία* sive *δυναστεία* et *ὀχλοκρατία*. Plato septimum quoque reipublicae genus denotat: regem legibus gubernantem talemque reipublicae statum omnibus aliis praefert¹⁾. Omnibus vero reipublicae formis longe praestat respublica ex tribus ordinibus, rege, optimatibus senatue populoque composita, quam et Cicero in republica sua optimam censet. Talem autem rempublicam non solum mente formatam ad instar Platonis reipublicae esse, verum etiam et fuisse et etiamtum cerni, exemplo variorum populorum comprobare conatur. Qua ratione ductus respicit Polonorum quoque monarchiam, quam miris praedicat laudibus. „Polonorum Monarchia, inquit, ex tribus reipublicae formis est constituta, ex rege, optimatibus, populo. Populi vero nomine ipsi tantum nobiles vel equites comprehenduntur. Est autem in eorum republ. summa ordinum consociatio, adeo ut rex sine senatus consilio et auctoritate de reipublicae summa nihil ipse decernere possit, senatus nihil absque rege et nobilibus. Itaque apud eos leges plurimum valent, pro hisque custodiendis, servandis retinendis se religione jusjurandi obstringunt, adeo ut nefas et impium existiment, aliquid contra leges moliri“²⁾.

Optimo igitur reipublicae statu constituto ad senatorem se convertit et ante omnia ab eo postulat, ut civis sit patriae suae. Amorem enim patriae eximium ei stimulum fore iudicat, ut pro salute reipublicae vigilet. Civis autem is habendus est, qui vitam virtuti convenientem degit et potestate magistratus gerendi fruitur. Praeterea duo genera civium internoscit, nobilium et plebejorum; senator igitur ex nobilium numero sit, sed nobilium propria virtute. Etiamsi enim claris parentibus ortus sit, tum demum nobilis fiet, quum majorum res gestas ex aequare vel superare contenderit. Tum senator habeat naturam philosophiae consentaneam, eamque recta educatione erudiat. Puer grammatica, dialectica, rhetorica instituitur; ado-

¹⁾ cf. Plato de republ. IX p. 576 e; IX p. 580 c. Politicus p. 301 d. p. 302 e: *Μοναρχία τοίνυν ξευχθεῖσα μὲν ἐν γραμμασιν ἀγαθοῖς, οὗς κόσμος λέγομεν, ἀρίστη πασῶν τῶν ἐξ ἄνομος δὲ χαλεπὴ καὶ βαρυντῆτι ξυνοικῆσαι.*

²⁾ f. 14 a.

lescens, quum philosophiae studium duplex sit, alterum in investiganda naturae obscuritate, alterum in vita, moribus hominum recte istituendis positum, praesertim ethicae, politicae, oeconomicae operam navet. Alteram philosophiae partem, quae physica, metaphysica, mathematica continetur, norit haud necesse est.

Praeterea historiam jurisque civilis cognitionem perspectam teneat, in artis oratoriae et sapientiae civilis studio versetur; cognoscat variorum populorum leges, mores, consuetudines et peregrinando quidem; si autem peregrinatione carebit, legat historicorum et geographorum opera, ut, quod patriae consentaneum, id in republica sua recipiat, contraria vero fugiat. Quod vero temporibus suis nulla fere ratio studiorum horum habetur, conqueritur his verbis: „Nostris temporibus multi veniunt ad petendos honores et ad rempublicam gubernandam inermes, nulla cognitione rerum, nulla sapientia praediti. Sin aliquis illustrior apparet, is aut unius militiae usum aut juris scientiam pragmaticorum, aut divitias solas, aut domesticam auctoritatem in senatum secum affert: bonarum vero artium scientiam, virtutumque cognitionem non norunt“¹⁾.

Quae omnia igitur ad senatoris munia obeunda plane necessaria; si autem nonnulli inveniuntur, qui etsi nulla scientia imbuti, ad magistratus gerendos tamen apti fiant, ii aut divina quadam natura praediti aut experientia forensi edocti sunt, sed fruuntur prudentia multis periculis et mutationibus obnoxia.

Priorem libelli partem finit quaestione instituta, quo modo et a quibus senator eligendus sit. Quam potestatem nemini nisi regi tribuit, qui tamen senatorem eligat ex magistratu jam antea gesto, „quod et Romae fieri solebat, nam magistratus patrum erat seminarium“²⁾.

In altera libri parte pertractat virtutes, quae senatori in magistratu constituto competant. Prae aliis id senator memoria teneat, se in medio positum esse inter regem et populum et propterea officia, jura, privilegia cognoscere atque id agere de-

¹⁾ fol. 26 a.

²⁾ fol. 37 a.

bere, ut aequo modo conserventur. Ad quae conficienda quatuor potissimum virtutibus senator carere non potest: prudentia, justitia, fortitudine, temperantia; ceterae enim virtutes in his quasi cardinibus vertuntur.

Prudentia versatur tota in cognitione delectuque rerum expetendarum et fugiendarum. Comites autem ejus: Ingenium, docilitas, memoria, intelligentia, circumspectio, providentia, cautio, sagacitas, calliditas, astutia, de quibus deinceps disserit.

Justitiam trifariam dispertit. Justitia naturalis vetat nos quidquam facere, quod alteri displiceat. Justitia divina obligat nos ad reverentiam erga Deum eaque a sacerdotibus sumi debet. Quo loco sententiam profert senatori nullam aliam religionem nisi romanam sive catholicam tenendam esse. Haeretici autem morte afficiantur vel ex republica exterminentur, necesse est, nam verum illud Ciceronis: turbata religione turbatur respublica. Humana sive civili justitia, cujus fundamentum fides et quae in usu communi societateque hominum versatur, senator imprimis praeditus esse debet. Aliud justitiae genus est justitia forensis; haec legibus nititur, quas ferre senatoris quoque erit. Quomodo optime officio hoc fungatur, quid ei curandum et quid cavendum, quanta pericula legum mutatio reipublicae afferat, quae denique in puniendo ei respicienda sint, docet argumentisque comprobatur. Justitia hasce ancillas habet: pietatem, bonitatem, innocentiam, comitatem, benignitatem, clementiam, amicitiam, concordiam.

Pietatem servabit erga deos et erga parentes; fugiendae tamen haeresis et superstitio. In bonitate tantum ei proficiendum, ut dignus sit, quicum in tenebris mices. In innocentia hanc regulam spectet: prosit omnibus, noceat nemini. Itaque quod in templo Cereris Eleusinae inscriptum erat: „Nemo ingrediatur, nisi qui suae innocentiae conscius sit,“ id quoque in domo ubi senatores convenient, inscriptum erit. Erga bonos comitatem exerceat sed cum gravitate conjunctam. Benignus sit, quemadmodum deus erga nos benignum se praebet, ita ut quodammodo homini Deus sit. Clementia praesertim in puniendo utatur, quum non minus senatori multa supplicia, quam medico multa funera turpia sint.

Orationem deinde instituit de liberalitate et magnificentia, virtutibus, quibus sed bene locatis senatorem ornatum esse decet et hac ratione ductus transit ad pertractandam amicitiae concordiaeque vim et gravitatem. Qua tanquam levis armaturae excursionem facta redit, fidem distributioni rerum, qualem ipse sibi proposuerat, servans ad tertiam cardinalem virtutem, quam ex perfecto senatore exigit, ad fortitudinem, de qua ita loquitur: „sic igitur affectum et animatum senatorem esse oportet, ut omnes animi ingeniique sui dotes omnesque virtutes fortitudine velut aliquo sapore temperet ac condiat“¹⁾.

Fortitudinis comites hae: magnanimitas, constantia, patientia, fidentia securitas. Magnanimus sit, ut Codrus, Scaevola; in constantia servanda exempla Aristidis, Catonis, Socratis, Reguli imitetur; patientia domi militiaeque utatur. Fidentia quoque, quam Cicero quandam de bono rei successu conceptam praesagitionem definit²⁾, haud est contemnenda. Impellit enim plerumque homines, ut omni timore remoto rem aliquam fortiter agant. Unde ortus est genius sive lar daemone, qui hominibus inest eosque plerumque in agendo admonet. Securitatem nullam nisi talem amplectatur, „quae in fugiendis periculis prudenti cautione et provisione non careat.“

Consideratione deinde ductus, quae res potissimum fortitudinem in homine excitare soleant, contendit, hoc in aliis honestatem, in aliis praemia, desperationem, iram, in aliis fortunam efficere. De popularibus autem suis his verbis utitur: „Profecto nostra gens eam sibi gloriam juste vindicat, quod in bellis virtute potissimum et honestate ducitur Nostrorum imperatorum non alia solet ad milites esse oratio, quam haec, ut quisque virtutis suae memor sit et honestatis: proinde aut vincere, aut mori semper Polonorum fuit“³⁾.

Disputatio de quarta capitali virtute, senatori propria, temperantia, quippe quae in resistendo cupiditatibus constet atque modestos, verecundos, honestos, continentis homines efficiat,

¹⁾ Fol. 65 b.

²⁾ cf. Cicero de inventionem II. 54, 163.

³⁾ Fol. 69 b.

concludit tractationem de bonis animi, quibus perfectum senatorum excellere oportet.

Quod ad corporis bona attinet, secutus Peripateticorum sententiam, quibus haec haud minimi sunt momenti ad bene beateque vitam traducendam, postulat ex senatore suo, ut sit sanus, sanguineus sive cholericus et formosus. Perinde dignitatem externo quoque habitu commendaturus utatur vestibus atque insignibus tantae gravitati dignitatique accomodatis. Quibus rebus consideratione de aetate senatoria adjuncta, constituit, varias philosophorum sententias perscrutatus quadragessimum quintum aetatis annum aptum, quo civis in hoc amplissimo dignitatis gradu collocetur. Sed etiamsi Nestoream, quae dicitur, aetatem nactus sit, nihilominus ei Reipublicae consulendum esse dicit.

Praeterea senatori, ut munere suo cum dignitate fungatur, haec bona externa necessaria esse perhibet: genus, honorem, gloriam, famam, amicos, propinquos, liberos, divitias. Hanc ob rem tamen is, qui virtute sola se nobilitat eaque prae aliis excellit, non damnandus est. Praemia senatoris, quae pro summis laboribus susceptis eum exspectant, quamvis conscientia ipsa egregiorum factorum amplissimum virtutis sit praemium¹⁾, non tam ad opes, quam ad honorem gloriamque referri debent. Quam rem his verbis ad exitum adducit: „Quodsi senator haec gloriae monumenta nominisque perpetuo duraturi famam minorem virtute et dignitate sua ducit, majora sibi a Deo munera felicitatis aeternae parata esse sciat: quae sane omnem splendorum, claritatum amplitudinum aevitatem et perpetuitatem superant. Vivet igitur non modo in terris cum civibus suis, verum etiam cum Deo immortali in altissimo coeli domicilio, in praestantissima coelitem corona, felix, honoratus, gloriosus; qua gloria quid potest aut dici aut excogitari gloriosius? illudque sibi Africani dictum usurpabit:

¹⁾ cf. Macrobius I, 4. §/2 sq.; Cicero de republ. VI 8, 8.

Si fas cedendo coelestia scandere cuique est ¹⁾,

Mi soli coeli maxima porta patet ²⁾.

Summa igitur operis hujus allata, in qua id potissimum egi, ut semper orationis filum respicerem idque illustrarem, nihil impedit, quin ad virtutes vitiaque ejus investiganda me conferam.

Si initio statim id, quod sentio, eloqui liceat, fateri debeo fieri non posse, quin praeclara eruditio, uberrime ex toto scaturiens opere, sententiarum lumina crebra ac gravia, mira ubique disserendi subtilitas ac per totum opus veluti sanguis per universum corpus diffusa naturalis quaedam gratia atque jucunditas, unumquemque, modo pulchri sensu non careat, capiant summoque afficiant gaudio. Sed ne, si quae minus in eo probanda inveniantur, nimio scriptoris amore captus, ea vel obtegere de industria, vel plane silentio premere videar, singula persequi mihi in animo est.

Jam supra commemorato loco (fol. 1 b.) pollicetur philosophus noster sese cauturum, ne ideam senatoris fingat. Ratione vero habita eorum, quae ab eo expetit, infitias ire nolumus, fieri non posse, quin haec omnia animi et corporis bona unquam in eodem homine conjuncta inveniantur. Libenter enim assentimur asserenti, sese non proposuisse imaginem senatoris ejus generis, cujus Plato rempublicam suam excogitarit, sed altera ex parte negare non possumus, senatorem ejus esse talem, qualis esse debeat, sed qualem ipse frustra suis temporibus puaesiverit. Sed forsitan quispiam dixerit, philosophum nostrum senatorem fuisse talem, qualem senatorem suum esse voluerit. Cui respondeamus necesse est, quamvis meritis ac virtutibus venerabilis viri obtrectare nolumus, qui ut praecepta sua proprio exemplo comprobaret, summam operam dederit, eum tamen perfectionem senatoris a se ficti assecutum non esse, quippe quam omnino assequi non potuerit.

¹⁾ Hic versus corruptus ita restituitur:

Si fas endo plagas coelestum ascendere cuiquam est. cf. *Fragmenta incerta Ciceronis librorum de rep.* p. 247. *Lactantius: Inst. divin.* I, 18, § 11. *Seneca epistol.* 108, 34; *Jahns Jahrbücher für Philologie Ann.* 1826. Vol. I. p. 89.

²⁾ Fol. 82 b.

Fidei catholicae sincere addictus postulat a senatore suo, ut et ipse ritui romano nomen det eoque magis, quum temporibus ejus jam plurimorum in Polonia animos nova religio occuparit.

Amore patriae ductus, ne dicam, occaecatus, quotiescumque occasio se ei offert, laudat omnia, quae patria ipsius redolent. Praesertim vero reipublicae Polonorum formam immeritis effert laudibus, quod etiam mirabilius fit, quum dari non possit, eum, quam perniciosa haec reipublicae forma jam tum fuerit, non perspexisse. Atque haec hactenus.

Quae formam spectant, haec fere dicenda esse videntur. Philosophus noster eruditus libris philosophorum graecorum Platonis et Aristotelis nec minus Romanorum Ciceronis et Senecae, tantopere iis imbutus est, ut paene quasi in succum et sanguinem ejus abierint. Quapropter haud mirum, quod invitus atque inscius non solum singulas voces dictionesque, verum etiam totas sententias paene ad verbum consentientes ex scriptoribus illis perceperit. Praeterea abundat opus ejus locis, quibus similes in scriptoribus istis, praesertim autem in Ciceronis libris inveniuntur. Nonnullos Beier, vir eruditissimus, in Jahni Annalibus 1826 Vol. I p. 84—96 in lucem protulit; permultos alios equidem et ipse ostendere possim, nivi verear, ne operae pretium perditurus sim. Utcunque enim res ceciderit, semper hoc optimo erit documento, quam accurate ac subtiliter philosophus noster scriptorum illorum libros cognitos ac perfectos habuerit ac laudi tantum ei duci poterit.

Quod ad designationem et apparatus totius operis pertinet, tanta intercedit similitudo inter nostrum opus et Ciceronis libros de republica, ut ea deceptus cracoviensis professor Georgius Münnich¹⁾ non dubitarit objicere Goslicio, eum codice manu-

¹⁾ Vir hic doctissimus nixus nuntio in opere: Polnische, Liffändische, Moskowitzische, Schwedische und andere Historien mit Fleis zusammengezogen durch D. Laurentium Müllern, Frankfurt am Main 1686 p. 37 allato — idem legimus in iterata auctaque editione operis hujus: Septentrionalische Historien Amberg A. 1595 p. 78. (Affero eam scri-

scripto Ciceronis librorum de republica, qui testibus luculentis saeculo XVI in Polonia fuisse fertur, — confer praeterea Wiszniewii historiam literaturae polonicae Vol. I p. 144, ubi dicit, cardinalem Bessarionem misisse in Poloniam legatos codicem illum investigaturos, qui tamen nusquam eum detegere potuerint — ad librum suum componendum usum, postea eum delevisse. Quae tamen similitudo tali modo expeditur, quod uterque tam Cicero, quam Goslicius ex eodem fonte hausit, ex Platonis opere de republica. Sermo emendatus ornatusque accedit vel proxime ad sublimitatem, venustam elegantiam, urbanitatem Ciceronis; parvi autem errores, in quos passim incidimus, sunt magnam partem ejusmodi, ut salva conscientia negligentiae typographorum tribui debeant, quae praesertim in editione

bendi rationem, quae in illo invenitur libro.) - : „Wir haben auch einen Wohlinischen Edelmann mit uns gehabt, Woinousky genannt, denselben hat uns der Starosta auff Dremblowa ein Bretwitz, seines herkommens ein Schlesier, dessen Vatter die Tartern oftinals geschlagen, mit zugegeben, der wusste dess Landes Gelegenheit, war ein gelehrter versuchter Gesell, ein guter Poet, ein feiner Historicus, ein guter Graecus und perfectissimus Hebraeus, denn er die Jüden daselbst unterwegs in der Podolien meisterlich wuste zu plagen, kondte gut Tartarisch; Derselb hatte auss der bibliotheca ein der Walachey, als der Despot vom Herren Lasky eingesetzt und der Türkische Gubernator, der Alexander, geschlagen worden, herrliche schöne monumenta scripta bekommen, darunter auch die libri Ciceronis de republica mit gülden Buchstaben auff Pergament geschrieben waren in einenn umschlage mit einem unbekanntten Sigel verpitzschieret gewesen, wie man noch sehen kondt. Und muste sie etwa ein grosser Herr in werth gehalten haben.“ ac falsus verbis Goslicii ipsius (praefatio): „si quae aut ingenio meo peperissem, aut alicujus scriptis legendis ad hanc rationem pertinentia collegissem, ea . . .“ tenacissime affirmat in libro: „M. Tullii Ciceronis libri de republica, notitia codicis Sarmatici facta illustrati, quantumque fieri potuit, restituti. Goettingae 1825.“ opus illud Ciceronis ex libro Goslicii restitui posse. Quae sententia quam perversa sit, facile quisque intelliget, qui etsi strictim compararit fragmenta hujus Ciceronis operis ab Angelo Mai a. 1822 patefacta cum Goslicii libro. Ceterum philologorum acta: Seebodes Archiv für Philologie 1825 No. 8 p. 913 sq. Göttingische Gelehrte Anzeigen 1825 p. 881—888; Jahns Jahrbücher für Philologie und Paedagogik 1826 Vol. I p. 79—96 constanter sententiam hanc repudiarunt.

Venetiana summum est assecuta gradum. Cujus rei documento nonnullos afferre liceat. In pag. 12 b legimus: „dum fuisset et in pag. 5a „dum deprecaretur“, quae typographi errata ducere non dubito. Idem de his locis judico: p. 57 b „easque contemnere non aliud sit“ pro „erit“; paulo post p. 68b „tutissimum est“ pro „erit“ et p. 82 b „excellere ceteros“ pro „ceteris vel „inter ceteros“. In numero dicendi proprietatum, quae minus excusari possunt, id praecipue ponendum est, quod conjunctiones: ubi, quando, aliasque saepissime cum conjunctivo conjungit et conjugatione periphrastica, quae dicitur, simplicis Futuri vice utitur. Denique id quoque reprehendi debet, quod nonnunquam voces formasve uni tantum scriptori proprias adhibet, puro tamen et candido dicendi genere repugnantes. Exempli causa in pag. 4 b incidimus in verba amplecti et perscrutari eaque passiva significatione adhibita, quod tantum Plauto proprium; in pag. 30 b in formam Perfecti absorpsi, absorpsi loco, quam nisi in Lucani operibus non reperimus; in pag. 47 a vocem revelationis a christianis scriptoribus Arnobio et Tertuliano usurpatam offendimus.

Nonnulla igitur in Goslicio inveniri possunt, quae contra linguae latinae leges, ejus elegantiam, et quae dicitur harmoniam pugnare videntur. Sed quis est, opinione praejudicata non ductus, qui infitias ire velit, in linguae latinae peritissimorum virorum libris, quin etiam in summis antiquitatis scriptoribus omnia tam perfecta atque ab omnibus numeris absoluta esse, ut nihil manci debilitatique in iis inveniatur? Quodsi igitur tales viri saepemunero clementiam nostram requirunt, summo jure Goslicio nostro indulgentiam occupare possumus pro paucis minimi momenti vitiis, quae praestantiam totius operis nullo modo imminuunt, quod tam materiam quam sermonem spectanti semper plurimi aestimandum erit. De quo si breviter judicium ferre velis, optime id comparabis cum serto suavissimo ex sapientibus consiliis documentisque constanti atque acutis gravissimisque sententiis antiquitatis philosophorum vincto.

Christophorus Versevicius, secretarius Stephani regis, eximius orator virque prudentiae civilis peritissimus ita hoc opus

respicens scripsit ad Goslicium ¹⁾: „Unus ille de optimo senatore liber tuus, quantam non modo tibi sed et cunctae genti nostrae conciliaverit gloriam, arbitror dubitare neminem, quum sincere quidam mihi dixerit, nullius libentius, quam tuum illum librum in Anglia teri in manibus hominum, de optimo senatore.“

Quamobrem eum operae pretium facturum esse puto, qui novam operis hujus editionem curarit, quum propter plurima typographorum errata, quibus editiones nostrae sunt inquinatae, tum propter summam ejus raritatem, quam Janotzkus testatur: Beide Ausgaben werden von Kennern werth gehalten und sind ausserhalb Polen sehr schwer, in Polen selbst aber fast gar nicht zu finden. Der hochselige Graf von Sapiaha, Grosskanzler von Litthauen, hat keiner von beiden habhaft werden können, ungeachtet er sich ganze zehn Jahre mit grösster Mühe und Aufmerksamkeit darnach umgethan ²⁾.

Antequam ab opere hoc discedam. facere non possum, quin moneam, paulo post Goslicii mortem exstitisse virum, typographum Antonium Hummum, qui insolentius opus hoc mutato titulo auctoreque libri, Francofurti 1611 spe magni quaestus faciendi ductus in lucem edere ausus sit. Librum vero ita inscripsit: Jurisprudentiae Politicae sive arcanarum disquisitionum politicarum de monarchica, regia, aristocratica, democratica gubernatione libri duo, in quibus praeter singula administrandi praecepta, de legibus ferendis, seditionibus tollendis, hostium incursionibus profligandis, foederibus sancientis, vectigalium portoriumve imponendorum mediis, vicinorum potentia, apparatu bellico, viribus ac ingeniis cognoscendis, tractandis, civiumque concordia paranda, conservanda disquisitoriae consultationes sub idea optimi senatoris proponuntur, tractantur auctore Liborio a Bodenstein, Sax Il. et Com. Pal. In prologo ad lectorem candidum, quo melius facinus suum abscondat, se

¹⁾ cf. Paef. ad Christophori Varsevicii ad Henricum I. Poloniae regem pro avita retinenda religione orationem alligatam operi ejus: de cognitione sui ipsius. Cracoviae 1600 p. 202 b.

²⁾ Janotzki: Nachricht von den raren Büchern. T. III p. 93—94.

librum ab erroribus, quibus exemplar manu scriptum scatebat, repurgasse gloriatur. Sed praeter titulum cetera omnia sunt Goslicii intacta.

Qua quaestione absoluta, tandem me ad Goslicium ipsum reverti ejusque vitae ad exitum usque enarrandae animum ad-jicere oportet.

Quum igitur Goslicius per decem annos, quos praesertim in officiorum ecclesiasticorum partibus diligentissime implendis consumpsit, episcopatu premisliensi praefuisset, accidit, ut in-fula episcopalis kujaviensis, Rozrazewskio a. 1600, mortuo, vacaret. Huc quum accessisset, ut episcopatus cracoviensis quoque eodem anno Georgio Radivilo cardinale morte extincto, vacuus fieret, episcopi summa studia in alterutro munere occu-pando collocarunt. Quo factum est, ut publice objurgarentur; quin etiam carmen vernacula lingua compositum et „Babie Koło“ in-scriptum¹⁾, conatus eorum, quibus cuncti offendebantur, gra- viter increpuit. Goslicio, etsi pro aetate et doctrina ac rebus in republica praeclare gestis ex opinione vulgari in primis po- nebatur, qui alterutro munere dignus esset, neutrum obtigit. Cujus rei causam si quaerere velis, profecto eam in illis inve- teratis simultatibus invenies, quas Goslicius cum patribus so- cietatis Jesu etiamtum exercebat. Nam Sigismundus rex illis plane deditus eorumque precibus commotus cracoviensem epi- scopatum Bernardo Maciejowski detulit, qui patribus illis paulo antea amplum oppidum suum Chodec donavisse fertur.²⁾ Epi- scopatum autem kujaviensem, Joannes Tarnovius, regni vice- cancellarius idemque episcopus posnaniensis obtinuit. Hac ratione est effectum, ut Goslicio id, quod supererat munus episcopi posnaniensis deferretur. Itaque Piaseckio summam fidem tribuendam esse arbitror, qui memoriae mandaverit, Gos- licium hac de re certiore factum aegre sibi persuaderi po- tuisse, se tantopere posthabitu esse³⁾. Sed quum intelligeret, rem jam factam mutari non posse, dioecesim posnaniensem die

¹⁾ auctore Stanislao Grochowscio.

²⁾ Piasecki: Chronicon p. 222.

³⁾ Piasecki: Chronicon p. 188.

16. Julii a. 1601 administrandam suscepit¹⁾. Dum novum adit munus, quum nomine capituli Posnaniensis, tum quod sane mirum videtur, a patribus societatis Jesu adhuc sibi infestissimis, demissioribus orationibus consalutatus est²⁾. Sed si quae in hac nova statione constitutus perpetrarit, proferenda sint, haec dixisse suffecerit, eum, jam hac re neglecta, quod, licet provecta fuerit aetate, accuratissime aequae atque juvenis officia muneri suo conjuncta exsecutus sit, eum praeterea pietatis, misericordiae, liberalitatis amplissima dedisse testimonia. Quum vero ob confectam valetudinem jam minus idoneus sibi ipsi esse videretur, quam qui solus humeris suis tantorum munium onera sustentare posset, capitulum suum precibus adiit, ut sibi coadjutorem, qui vocatur, Andream de Bnino Opalenscium asciscere liceret, Quod ei capitulum posnaniense decreto die 2 Januarii a. 1606 facto permississe ex actis hujus capituli apparet; eadem in re et Sigismundus rex et Paulus V, pontifex maximus paulo postea ei morigerati sunt³⁾. At auxilio hoc nondum duos fructus annos, quum gangraena, quae vocatur, a dextro pede per totum serpsisset corpus, pridie Cal. Nov. a. 1606 Ciazyni diem obiit supremum. Marmoreum sepulcrum ejus adhuc in cathedra Posnaniensi in capella S. Joanni Nepomuco sacra cerni potest idque tali instructum titulo:

D. O. M.

Illmo ac Rmo Domino Laurentio Goslicki, gente Grimalio, territorii Plocen., viro pietate singulari, ingenio praestanti, con-

¹⁾ Piasecki: Chronicon p. 222; Heydensteini commentarius p. 385.

²⁾ Orationes hae publicatae atque ita inscriptae sunt: Oratio ad Illmum Dnum et Revermum in Christo patrem Dnum D. Laurentium Goslicki, Dei gratia episcopum posnaniensem habita nomine venerabilis Capituli ecclesiae cathedralis ab Admodum Rdo Dno Joanne Dziekczynski S. T. Doctore, Canonico Posn.: imprimo Illmi ad suam sedem ingressu, a. D. 1601 die 16. Julii Posnaniae 1601. Ad eundem Illmum et Revermum Dnum D. Laur. Goslicki, episcopum posnaniensem nomine collegii Societatis Jesu Gratulatio.

³⁾ Quae Jabczyński, canonicus posnaniensis in libro adhuc inedito: Vitae episcoporum posnaniensium (Żywoty biskupów poznańskich) testatur.

silio excellenti, candido, aperto, animoso, reipublicae et communis, praesertim eccles. libertatis amantissimo, eloquentia rara. Qui scientiarum insignibus publice decoratus et ab aliquot sereniss. regibus Poloniae in pretio et honore habitus, post multa, varia et eximia in rempubl. merita ad complures in gravissimis et difficillimis Regni negotiis pari fide et felicitate obitas legationes, primo Camenecensi, paulo post Chelmensi ecclesiis utiliter eppus praefuit. Deinde ad eccliam Premisliensem promotus simul Clarae Tumbae monasterium laudabiliter administravit. Postremo eccliae Posnaniensi Praesul factus cum eam feliciter annis sex mensib. circ. quatuor rexisset, demum designato et adscito sibi legitimo coadjutore et successore septuagenario major vivida senectute gangraena nervorum fractus in pede dextero sensim occupante ad extrema deductus, animam Deo religiose commendavit et plenus spei reddidit Ciazyni A. D. MDCVII ult. mens. Octbr.

Starowolscius in „Monumentis Sarmatarum“¹⁾ aliud quoque epitaphium in medium protulit, quod nepotem Goslicii avo suo in sepulcro ponendum curasse contendit. Laudes ejus praeterea versibus celebrarunt Jacobus Vitellius, Nicolaus Zoravius aliique.²⁾

Jam quum de vita Goslicii ac principali ejus opere, uberime, ut fieri potuit, disposuerim, nihil restare videtur, quam ut de ceteris libris ejus, partim talibus, quos composuisse fertur, partim ejusmodi, quos reapse scripserat, nonnulla quaedam adjiciam. Praeterea, ut imago Goslicii absoluta evadat, ad animi ejus virtutes moresque adumbrandos me accingam, necesse est.

Itaque Starowolscius quidem Goslicium praeter illum de optimo senatore librum alium quoque „de optimo Cive“ conscripsisse, memoriae tradidit³⁾. Quem secuta est magna viro- rum turba, qui tantam ei fidem tribuere, ut jurare, quod dicitur

¹⁾ Simon Starowolscius: Monumenta Sarmatarum viam universae carnis ingressorum. 1655 p. 442.

²⁾ cf. Starowolscius: Hekatontas p. 21.

³⁾ cf. Starowolscius: l. c.

in verba megistri non dubitarent¹⁾. Mirum sane, viros hos nunquam ex semet ipsis quaesivisse, num muntius hic fide dignus esse possit, praesertim quum nulli eorum liber ille unquam in manus inciderit. Janotzkus demum primus librum illum nunquam in lucem prolatum esse contendit ac rem ita expedivit, ut Goslicium jam in illo de optimo senatore libro optimi civis imaginem depinxisse affirmaret²⁾. Attamen possit aliquis afferre rem, quae sententiam ejus gravissime infringere videatur. Christophorus enim Varsevicius, aequalis amicusque Goslicii in illa, quam jam supra commemoravi praefatione talia ad eum scripsit: „Cujus (sc. libri de optimo senatore) cum mihi nuper dixisses, de optimo Cive te quoque habere similem, mirum est, quam fuerim ea re delectatus³⁾.“ Infittias ire nolim, hanc rem gravissimi esse momenti; sed altera ex parte fateri debeo, ne talis quidem muntii auxilio me aenigma hoc dissolvere posse, nisi forte Alexandri gladio usus librum illum in numerum eorum referendum accipiam, quorum Goslicius Paulum Piaseckium canonicum posnaniensem, amicitiae vinculis sibi conjunctum haeredem instituerat et qui adhuc inediti meliora fata exspectare videntur. Quo numero duos praeterea libros contineri, qui ex haereditate Piasecii bibliothecae Załuscianae obtigerint, ex Janotzkii „Excerpto literaturae polonicae intelligi potest⁴⁾. Alter quidem eorum ita est inscriptus: Laurentii Grimalii Goslicii: de haereticis discursus exercendi animi causa coeptus, non tamen perfectus; cui annexi sunt commentariorum rerum sub interregno a morte Sigismundi Augusti regis usque ad coronationem Stephani I in Polonia gestarum libri tres auctore Laurentio Goslicki⁵⁾. Codex chartaceus ipsa Goslicii manu elegantissime exaratus et celebris Pauli Piasecii, primum canonici cracoviensis etc. demum Premisliensis episcopi bibliothecae alla-

¹⁾ Niesiecki: herbarz polski p. 225. T. IV; Rzepnicki vitae Praes. T. II. q. 143 aliique.

²⁾ Janotzki: rare pol. Bücher. T. III. p. 93.

³⁾ Christophorus Varsevicius l. c. p. 202.

⁴⁾ T. I p. 91.

⁵⁾ Janotzkus: Polon. auctor. Miscell. Praefatio p. XLVII.

tus. Sub finem haec verba Piasecii manu minus luculenter scripta Janotzkius memoriae mandavit: „Mors Patroni faventissimi, Illustrissimi Laurentii Goslicki, episcopi posnaniensis die ultima Octob. in an. Dni 1607 incidens orationis filum praecidit meque variis jactandum calamitatis procellis reliquit. „Utinam fecisset comitari Patronum“¹⁾). Hunc librum Bartoszewicius in bibliotheca Imperatoria Petersburgi quaeri debere opinatur. Alteri autem libro causam Brunsvicensem spectanti talis inest titulus: Causae et actiones Serenissimi et Potentissimi Principis ac Domini, Domini Stephani, Regis Poloniae, Magni ducis Lithuaniae, Principis Transsylvaniae etc., quae Suae Serenitati cum Illustri Domino, duce Brunsvicensi et Luneburgensi intercesserunt occasione certorum bonorum post Illmam Dominam Sophiam natam Poloniae et ducissam Brunsvicensem ad Regis Poloniae Majestatem juxta pacta et quomodolibet devotorum coram Illmis Principibus et Sacri Romani Imperii electoribus Saxoniae et Brandenburgiae tanquam Caesarcae Majestatis consiliariis tractatae²⁾).

Qui liber non solum multas gravissimasque res nondum patefactas sed etiam mandata Stephani regis ipsius hac occasione composita atque sigillo regio instructa continere fertur, cujus rei rursus Janotzkium luculentum habeo testem³⁾).

Praeterea Goslicium Mosis haud inimicum per otium carminibus etiam componendis navasse operam, jam supra intelleximus; hoc loco addere visum eum variis occasionibus commotum multa panxisse epigrammata, quae tamen quum variis annexi sint libris ac saepissime nomine ejus careant, vix detegi possunt.⁴⁾ Quapropter duo epigrammata, licet puerili aetate

¹⁾ cf. inter codices bibl. Załuscianae in 4^o nr. CCCXII.

²⁾ Inter codices bibl. Załusc. Fol. nr. C.

³⁾ Janotzkius rare poln. Bücher T. III p. 93.

⁴⁾ Starowolscius in Hekatontas p. 2 huius rei talem fecit mentionem: Clarus et carmine pangendo variisque poematum generibus claris plerisque ea tempestate viris inscriptis. Nicolaus Zorawius Goslicium laudibus celebrans eum poetam sacrum appellavit.

conscripta, quae in Stanislai Orichovii: „Chimaera“¹⁾ inveniuntur et quae fere sola in dubium vocari non possunt, velut Goslicii poesis specimina afferre liceat. Alterum „de Religione in Polonia mutatae statu:“

Hic, ubi Religio constans pietasque manebant:

Vixit et in populo, non temerata fides.

(Credere quis quondam potuit mutarier ista?)

Nunc virtus, pietas exulat atque fides.

Atque ubi sancta dabat de lege arcana sacerdos,

Furcifer hoc profugus nunc facit et fatuus.

Quaeque prius sacros cogeat Curia patres:

Nunc decore et sacris despoliata ruit.

Singula si referam, pereunt pietatis avitae

Sacra, fides, cultus religioque simul.

Quorum si causam cupias cognoscere, librum

Hunc lege, quem doctus scripsit Orichovius.

Alterum „in Stancarum“.

Stancare dic tandem, quo te tua gloria ducit,

Stultitia aut quando desinet esse tua.

Tantane te cepit temnendi oblivio recti:

Ut te falsa diu sic adamare juvet.

Dicque, diu quam te ludibria stulta juvabunt,

Aut finem quando stultitia ista feret.

Desine Christicolas procaci offendere lingua

Desine et hunc populum conscelerare Dei

Si vero haud cessas, strictam vereare securim,

Aptata est, collum mox feritura tuum.

Quum autem in parvo eorum numero esset, qui, dum negotiis publicis administrandis animum adjiciunt, simulac otium nacti, totos se libris dedunt, per totum fere vitae spatium non solum ad theologiae et philosophiae, verum etiam astronomiae studia incumbere. Linguam graecam penitus cognitam ha-

¹⁾ Stanislai Orichovii Roxolani: Chimaera sive de Stancari funesta Regno Poloniae secta a. 1562.

buit, quod quum aequales testantur scriptores ¹⁾, tum ex scriptis ipsius perspicui potest. Sub ipsum fere vitae finem a. 1606 Cricii poema: *Religionis et Reipublicae Quaerimonia*“ excudendum curavit, quod ad emendandos aetatis suae mores magni fore momenti putabat ²⁾. Pulcherrimae bibliothecae suae, quam magno studio magnaue diligentia colligerat, ordinem dominicanorum plocensium haeredem fecit ³⁾. Sicut inter viros doctos eloquentia, ita in senatu vago rerum usu, inter episcopos autem vitam sancte honesteque agendo excellebat. Ipse simplicissima utebatur vivendi ratione; ne autem morum pravitas in dioecesim suam invaderet, variis cavit modis ac disciplinam in ecclesia multis auxit legibus. Episcopus premisliensis confraternitatem literatorum in oppidum quoddam dioecesis suae, Brzozovium adduxit ⁴⁾, quam pietas suscitaverat et cujus nulli nisi viri literati sodales esse poterant. Itaque salva conscientia affirmari potest, eum nunquam quidquam eorum omisisse, quae officia viri sincerissime cultui romano addicti et optimi sacerdotis et episcopi exegerint. Catharina de Maciejovius Wapowska, castellanea premisliensis, femina omni virtutum genere illustris, quae in Russia permultos possidebat fundos, quum id potissimum curaret, ut subditi sui religionem ac pietatem colerent, assentiente Pontifice Gregorio XIII omnes ritus graeci ecclesias sacerdotibus ritus romani administrandas tradidit eosque multis fovit et adornavit beneficiis. Qua de re Goslicius certior factus omnibus eam in hoc studio adjuvabat viribus. ⁵⁾ Cum severitate morum mirum quoddam comitatis et festivitatis genus conjungebat, ad quamque aetatem et ad quodque ingenium accomo-

¹⁾ Treterus: vitae ep. posn., Niesiecki l. c. T. IV p. 226; Rzepnicki vitae praes. Pol. T. II p. 144; Starowolscius Hekatontas p. 21.

²⁾ cf. Ossolinscium in vita Cricii T. IV p. 199, Chodynieski dict. doct. pol. T. I p. 381.

³⁾ cf. Bzowski Abraham: Propago S. Hyacinthi Venet 1606 cap. 14 Fol. 97; Niesiecki l. c. p. 226; Rzepnicki l. c. p. 145.

⁴⁾ Obraz wieku panowania Zygmunta III. przez Siarczynskiego T. III p. 193 Ann. 79.

⁵⁾ Rzepnicki l. c. T. II p. 144.

datum. Omnibus erat aditu facilis, benevolentia atque opibus multos pauperes sublevabat. Amicis semper fidum et constantem praebebat animum. Unus eorum, Paulus Piasecius postea episcopus premisliensis idemque celeberrimus annalium scriptor, quem Goslicius canonicum posnaniensem nominaverat, quotiescunque se illi in „Chronica gestorum in Europa singularium“ offert occasio, semper pio gratoque animo Goslicii prosequitur memoriam. Nobilis ac splendidi animi documenta saepemunero vel maxima dedit. Ad posnaniensem promotus ecclesiam, quum ex vetusto more a Matthia Pstrokońcio, qui eum in episcopatu premisliensi est secutus, semissem redituum episcopatus illius exigere posset, nihil sumpsit, minime aequum videri fassus, hacce pecunia egentiolem episcopum premisliensem a posnaniensi privari.¹⁾ Virtute propria confisus nunquam veritatem atque id, quod cordi habuit, quamvis in periculosissima rerum conditione versaretur, eloqui dubitabat. Qua ejus libertate dicendi commotus Christophorus Varsevicius ei orationem suam ad Henricum I, Poloniae regem pro avita retinenda religione habitam sacram esse voluit, his fere verbis usus: „Quae oratio, quum sit libera omnibus verborum lenociniis, tanquam scrobe nudata, tibi uni prae ceteris qui eadem dicendi libertate viges, potissimum etiam fuerat dedicanda.“²⁾ Probitas et integritas ejus tantopere pervulgata erat, ut saepissime arbiter, qui lites discerneret, eligeretur. Etenim in Payłowii opere „Premislia sacra“ inscripto legimus,³⁾ acta capituli premisliensis continere sententiam ejus arbitralem, quam simul cum Petro Tylicio, tum episcopo culmensi occasione controversiae inter episcopum wladislawiensem Hieronymum Rozdrzewium et Capitulum cracoviense die 17 Aprilis a. 1597 pronuntiaverit; item alteram sententiam in causa consulum Premisliensium et civitatis premisliensis die 25 Aprilis 1599 latam.

¹⁾ Stanisłai Łubienski: opera posthuma. Antverpiae 1648: Monita de episcopatu recte gerendo p. 263.

²⁾ p. 202.

³⁾ p. 344.

Unde factum est, ut tam ejusdem, quam posterioris aetatis scriptores maximis laudibus eum tanquam optimi hominis, civis, episcopi specimen afferant. Simonides Bendoński poeta in carmine „Alveum nuptiale“¹⁾ eos, qui nuptiis Petri Firleji et Hedvigis Włodecae aderant, enumerans, Goslicii pietatem doctrinam, vagam experientiam, constantiam animi, verum patriae amorem praedicat. Janotzkus talem de eo tulit sententiam, quam nullum probare non posse persuasum habeo²⁾: „Er war der allerwürdigste Prälat seiner Zeit, der wegen seiner ausserordentlichen Fähigkeit, langwieriger Erfahrung und gemässieter Aufführung die allerhöchste Ehrenstelle in seinem Vaterlande verdient und auch gewiss vor anderen erhalten hätte, wenn ihm nicht ein mächtiger Orden zuwider gewesen wäre.“

Itaque quum res paulatim ad finem deducta sit, melius disputatiunculam hanc me concludere non posse arbitror, quam si gratulationem Andreae de Bnin Opalenscio, qui Goslicio in posnaniensi episcopatu successit, nomine sacerdotum ecclesiae S. Joannis Baptistae Varsaviensis oblatam in medium protulerim,³⁾ unde sibi quisque ea, quae ad Goslicium pertinent, depromat itaque ejus imaginem suppleat velim.

„Illustrissime ac Reverendissime Domine, — sic illa incipit gratulatio — Domine Patrone colendissime et observandissime! Mortem Ill. ac Rev. olim Antistitis nostri, ita ex animo dolemus deflemusque; ut par est optimi non modo sapientissimique Antistitis et Senatoris, verum etiam in nos nostramque ecclesiam patroni munificentissimi. Cui sicut vivo nunquam non praestitimus debitum honorem, ita mortuo, cum publice omnes, tum singuli privatim pro anima ipsius debita persolvimus justa et Parentalia. Quoniam autem Dei munere factum est, ut Ill. ac Rev. Dominationem Vestram successorem

¹⁾ Simonis Simonidis: Alveum nuptiale in nuptiis Petri Firley et Hedvigis Włodecae 1599.

²⁾ Janotzki: Nachricht von den raren pol. Büchern. T. III p. 94.

³⁾ Cf. Łukaszewicz Józef: krótki opis historyczny kościołów parochialnych . . . w dawnej dyecezyi Poznańskiej. Poznań 1858. Praefatio p. 82.

illius habeamus, maximas hoc nomine illi agimus habemusque gratias, dignitatemque hanc Ill. ac Rev. D. Vestrae summopere gratulamur, tum gaudemus quoque hujusmodi viro desponsatam esse Posnaniensem ecclesiam, cui nec ad ornandam illam studii, nec ad defendendam auctoritatis, nec ad amplificandam virium deesse videatur quidquam; quae sane res ita nostrum lenit dolorem, ita continet ex morte illius defuncti lacrimas, ut Goslicium revixisse videamus. Faxit Deus ille et Optimus et Maximus, ut quod unum ad felicitatem hujus vitae defuit Goslicio, videlicet valetudo corporis firma, ea se cumulate auctam sentiat semper Ill. ac Rev. D. Vestra..... Ut vero etiam nos Ill. ac Rev. D. Vestra studio et favore complectatur suo ecclesiamque nostram ex proximis ruinis concussam et detruncatam, ut aliquando integritati splendorique suo pristino restituatur, exemplo antecessoris sui Ill. ac Rever. D. V. curae non postremae sibi esse velit, majorem in modum rogamus oramusque ac servitia nostra plurimum commendamus. Varsaviae, die 10 Decembr. a. 1607.“

V I T A.

Romanus Lopiński natus sum Posnaniae a. d. XII Cal. Aug. anni h. s. quinquagesimi patre Josepho, matre Francisca e gente Urbańska, quam ante hos quinque annos praematura morte mihi abreptam vehementer doleo. Fidem profiteor catholicam. Primordiis literarum in schola publica eruditus, jam octo annorum puer gymnasium ad St. Mariam Magdalenam adii, quod patria in urbe tum auspiciis Brettneri, viri doctissimi, florebat. Hic per decem annos fructuosa Ill. praeceptorum institutione usus, anno LXVIII testimonio maturitatis ornatus Vratislaviam me contuli, ubi a Viro Ill. Raebiger tum fascēs academicos tenente inter cives universitatis Viadrinae receptus, nomen apud amplissimum Philosophorum ordinem dedi. Per quatuor deinde annos studiis philologicis philosophicis historicis deditus interfui scholis VV. Ill. Braniss Elvenich Foerster Freymond Hertz Junkmann Nehring Neumann Reifferscheid Rossbach. Interim bello inter Francogallos et Germanos exorto aestate anni LXX ad arma vocatus per octo menses stipen-

dia feci. Vere demum proximi anni ad studia intermissa referre me potui. In numerum seminarii regii philologici sodalium relatus, per tria semestria adfui consessibus, quos VV. Ill. Hertz et Reifferscheid moderabantur. Quibus Viris Illustrissimis pariter atque omnibus praeceptoribus meis semper piam gratamque memoriam servabo.

THESES.

I.

In Sophoclis Oedipo Tyr. v. 157 verba *αδυεπης φάτι*, quibus Dindorfius Wolffusque offensi sint, retinenda esse existimo.

II.

Ibidem v. 159 verborum: *αυβοστ' Αθάνα* loco, quae corrupta esse videntur, *αλλιμ' Αθάνα* legenda esse conicio.

III.

In enarrando carminis XVIII libri I od. Horatii contextu sententiam Casparis Orellii longe aliis praestare censeo.

IV.


Joannes Sarius Zamoyscius in comitiis convocationis causa, quae dicuntur, a. 1573 celebratis, rogatione sua, ut potestate regis eligendi civis nobilis nullus non frueretur, invitus atque inscius exitio liberae Polonorum reipublicae prima jecit fundamenta.

INSTYTUT

BADAŃ LITERACKICH PAŃT. J. MICHAŁSKA
BIBLIOTEKA

00-330 Warszawa, ul. Nowy Świat

Tei. 26-69-80


<http://rcin.org.pl>

F

6373
a, b